

# Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.  
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e) | Author(s):

Titel | Title:

Bruns, I. F.; ... exhibebit I. F. Bruns.

Dissertatio iuridica inaug. ad L. 6. ff. de iust. et iure, de iure civili, naturali, dum addit aliquid vel detrahit, nequicquam contrario

Udgivet år og sted | Publication time and place:

Fysiske størrelse | Physical extent:

Hafniæ : typis ... Joh. Georg. Höpffneri, 1750  
57 s.

## DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

## UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.



I. F. Bruns

Diss. de iure civili,  
naturali

1750


8, -82, 4°





DET KONGELIGE BIBLIOTEK



130021437442







A. F. Bourno.  
Bd. iure civili, naturali,  
dum addit aliquid vel detrahit  
nequequam contrariis.  
Mafn. 1750.



82-82-4



*DISSERTATIO*  
**IVRIDICA IN AVGVRALIS**

*AD L. 6. ff. DE IVST. ET IVRE*

**DE IVRE CIVILI, NATVRALI,  
DVM ADDIT ALIQUID VEL DETRAHIT,  
NEQVICQVAM CONTRARIO,**

**QVAM  
CONSENSV**

**PERILLVSTRIS ET AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS**

**PRO**

**SVMMS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS**

**LEGITIME IMPETRANDIS**

**IN AVDITORIO SVPERIORE**

**PVBlicAE DISSERENTIVM RECOGNITIONI**

**EXHIBEBIT**

**I. F. BRVNS. DELLMENHORST.**

ANNO MDCCL. D. 30, APRILIS. h. a. m. f.


---

**H A F N I Æ,**

**Typis Directoris S. R. MAJESTATIS & Universitatis Typogr.  
JOH. GEORG. HÖFFNERI.**

*Ms. Am. J. J. Schickel in Freund of Hofes Ancher; per Amm. Logdion  
aus Carl Brad, 1. April 1751.*

DISSECTATIO  
MEDICINA VAGRALLIS  
AD R. & P. DE WET. ET WEE  
DE WEE CIVIL, NATURALIS



Imprimatur

J. P. ANCHERSEN. D.

EXHIBIT  
J. T. BRVNS, DELMENHORST.  
ANNO MDCCCL. D. 1. APRILIS. P. 1. M. L.  
H A T N I E  
Typo. Druck. & Universitäts Typogr.  
JOH. GEORG. HOFFMANN.



§. I.



VS, cuius vocis appellationem πολυσημον esse, nemo est, qui ignoret, legem heic significat. LEX in genere dicitur *norma actionum obligatoria*. OBLIGATIO (actiua nimirum) est *connexio motiui cum actione*; passiuia est *necessitas moralis agendi vel non agendi*, seu quod idem est, *vinculum iuris*, quo *necessitate adstringimur alicujus rei soluendae, i. e. faciendae vel praestandae princip.* Instit. de obligat. l. 3. ff. de obligat. & action.

Scholion.

ACTUS LIBERI dicuntur, *qui a decreto voluntatis nostrae dependent*. Quum vero nullae omnino actiones pendeant ab imperio voluntatis, nisi voluntas ad eas decernendas determinetur praeuia representatione boni vel mali, id est, per motiua, igitur actio quaecumque non libera obligari nescia est.

## §. II.

PERMISSA nuncupant, *ad quae lex non obligat.*

*Corollar.*

Omnis igitur permissio est a lege, & recte *Modestinus leg. 7. π. d. leg. legis virtus*, ait, *haec est: imperare, vetare, permittere, punire.*

## §. III.

Ius omne, legem indigitans, vel **DIUINUM** est, quod *Deum*, vel **HUMANUM**, quod *hominem auctorem agnoscit.*

## §. IV.

**IUS NATURAE** iuxta cum immortali **GROTIO** *de Iure B. & P. lib. I. Cap. I. §. 10. n. 1.* dicimus *legem istam, quae concipitur ex convenientia aut disconvenientia liberarum actionum cum natura rationali ac sociali.* Quia autem ex consideratione naturae humanae concipi potest norma actionum liberarum, igitur dari ius naturae tam certum est quam quod certissimum.

## Scholion.

**CICERO** lib. II. *de inuent. cap. 22.* naturae ius idcirco vocat, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inseruit idque describit lib. I. *de legibus*, rationem summam instam a natura, quae iubet ea, quae facienda sunt prohibetque contraria.

## §. V.

Eam deprehendimus naturam esse hominum actionumque humanarum in se spectatam, ut cum actibus liberis bonae vel malae consequentiae copulatae sint. Quum vero naturae rerum quarum cumque a Deo unice pendent, sequitur Deum, qui consequentias istas cum actionibus copulavit, per naturam humanam nos obligare, et ius consequenter naturale esse ius diuinum. §. III.

## §. VI.

§. VI.

Ex definitione Iuris naturalis §. IV. elucescit; obligationem naturalem oriri a conuenientia vel disconuenientia actuum cum natura humana. Natura autem humana pariter ac actiones cum natura nostra congruentes vel incongruentes, pro diuerso hominum statu diuersimode considerari possunt, vnde *obligationem naturalem*, quæ statu naturali nititur omnibus hominibus communi, ab *aduentitia*, & officia iuris nat. *absoluta*, quibus omnes indiscriminatim obstringuntur, ab *hypotheticis*, quæ praeuio alicui factio humano superstructa sunt, distinguunt. PUFENDORF *de I. N. & G. lib. II. Cap. III. §. 22. 24. & lib. III. Cap. I. §. 1. & Cap. IV. §. 1.* THOMASII *Iurispr. Div. lib. I. Cap. II. §. 10. seq. lib. II. Cap. III. §. 3.*

Scholion.

Nulli re vera dantur actus, quorum nullus plane fit cum natura humana nexus ad felicitatem nostram, magis aut minus promouendam, impediendam vel destruendam, nostrae licet rationi incognitus persaepe et impervius. Ecce igitur quanta latitudo obligationis naturalis, in omnes in vniuersum actiones humanas excurrentis!

§. VII.

Verum enim vero quum obligatio naturalis naturae nostrae originem debeat & singulis quidem hominibus communi, Lex naturalis non poterit non ad vnum omnes obligare mortales. Se igitur hominem esse neget necessum est, quicumque obsequium abnuat Legi naturae debitum,

## §. VIII.

Natura autem humana, siue statum naturalem respicimus siue aduentitium, quia constans est & perpetua, actiones præterea liberae Iure naturali præceptae vel prohibitae, per se bonae sunt vel turpes, igitur obligatio quoque naturalis perpetua est & immutabilis.

## Scholion.

Hoc ipsum nec diffitetur Imperator IUSTINIANUS, *Naturalia Iura* dicens §. II. *Instit. de I. N. G. & C. quae apud omnes gentes peraeque obseruantur, diuina quadam prouidentia constituta, semper firma atque immutabilia permanere.* Nec nisi verbis dissentire crederem CONNANUM, PACIUM, GOCCLENIUM, ANTON. MATTHAEUM, ESSENIUM, caeterosque qui non omne Ius natura'e immutabile esse affirmant, vide *Vlrici Huberi Eunomiam Romanam pag. 23. ex edit. Amstelod. MDCCXXIV.*

## §. IX.

LEGES POSITIUAE dicuntur, quarum obligatio positiua est & arbitraria, pendens a voluntate legislatoris. Leges igitur ciuiles, quia proficiscuntur ab arbitrio & voluntate summi Imperantis, cuius est, leges ferendo curam gerere salutis publicae, positiuae sunt.

*Corollar.*

Ideo, quod ad existentiam & obligationem legum ciuili-um, non quaeritur, quales illae sint bonae vel malae, salutare an noxiae? sed an & quod voluit legislator? stat pro ratione voluntas.

## §. X.

Leges Ciuiles Iuri naturali contrariae vere non sunt (de iure loquor non de facto) singulae enim ciuitates, quia Vniuersali isti societati humanae insunt & sub-

subfunt, iique consequenter subordinari debent. Igitur leges vtriusque societatis sibi inuicem repugnare & obsistere nequeunt, igitur in iis solum occupantur leges ciuiles, quæ Iure naturali licita sunt & permiffa, igitur irritae sunt et iniuftae, quotquot Iuri naturali manifesto repugnant.

Scholion. I.

Leges quidem ciuiles pofitiuæ sunt, earumque obligatio arbitraria §. IX. Attamen exinde non fequitur, potestatem legiflatoriam ad ea quoque extendi, quae Iuri vniuerfali refragantur. Absit enim, vt arbitrium iftud legiflatoris vagum omnino fit, indeterminatum, et ab omni obligatione legali liberum. Summos fcilicet imperantes vtpote ab imperio ciuili immunes ad modum ftatus naturalis confiderari oportet. Status autem naturalis licet fubjectionis ciuilis nefcius, nequicquam tamen ftatus eft licentiae & vagae libertatis, quod eleganter docent IOH. LOKIUS *du Gouv. Civil. Chap. I. §. II. fq.* et RICHARD HOOKER. *Politic. Ecclefiast. Lib. I.* Quotquot autem in ftatu naturali degunt, iure naturae tenentur, vtpote vniuerfali. Imperantes igitur, quod ad potestatem legiflatoriam, prouti in reliquis actibus fuis, Iuri quoque naturali fubiacent. Neque id efficit fuma potestas ciuilis, vt leges ciuiles rogare poffint, naturalibus contrarias. Tantum enim iuris fumno imperanti re vera non tribuerunt vel tribuere potuerunt, qui societatem ciuilem primum ineuntes, fummam in alium contulerunt potestatem. Grauia sunt verba LACTANTI de Iure Naturali dicentis, quæ hic adfcribantur, digniffima. *Huic legi, ait, lib. 6. cap. 8. Inftit. Diu. nec abrogari fas eft neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero per Senatam aut per populum folui hac lege poffumus: neque eft quærendus explanator aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romae, alia Athenis, fed & omnes gentes & omni tempore vna lex et fempiterna et immutabilis continebit, vnusque erit communis quafi magifter*

et Imperator omnium Deus, ille legis huius inuentor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis adsperebitur. &c.

### Scholion. 2.

Lege igitur iniusta ciues cogi quidem possunt, non obligari. Ita solide, more suo, et acute docet praeclarissimus nostri aevi Ictus AUGUST. LEYSERUS *Meditat. ad Pandect. Spec. VII. med. IX.*

### Scholion. 3.

Leges ciuiles irritas esse dico si naturalibus manifesto contrariantur. Licet enim ille non sum, qui sententiae suffragari possim HOBBSII *de ciue Cap. 12. §. 1. 2.*, docentis, ciuibus necessitatem imponi iniusta quoque principum mandata exsequendi, atque ad seditiosas doctrinas referentis: *Cognitionem de bono et malo pertinere ad singulos; Regibus non esse obtemperandum, nisi iusta praeceperint; peccare subiectos, qui mandata principum suorum, quae sibi iniusta esse videntur, exsequuntur.* Attamen ex altera parte praesumptionem in dubio militare arbitror pro aequitate iussuum superioris, neque teneri ciues, *ut iustitiam mandatorum scrupulose inquirant et examinent, quae doctrina est laudati nuper LEYSERII l. cit. specim. DXXXIV. med. XVII.*; cui itidem adstipulatum fuisse B. LVTHERVM testatur *Tom. III. lenens. fol. 328.* Ridiculum sane foret et a fine societatis ciuilis prorsus alienum, si Princeps v. g. militem audiret, iussum in praelium abire, prius de iustitia belli, quam bello se committat, ratiocinantem, vel carnificem, quod poscit EPISCOPIUS, Theologus Arminianus, *Tom. I operum fol. 7. in Resp. ad Quaest. 46.*, de sententiae latae iustitia conuinci, antequam reum condemnatum supplicio afficere velit, flagitantem: *Si ubi iubeantur, quaerere singulis liceat* (ita prouide calculos ponit OTHO apud CORNEL. TACITVM *lib. I. historiar. cap. 38.*) *pereunte obsequio etiam imperium intercidit.*

### Scholion. 4.

Leges Ciuiles iuri naturali externo contrariae, iniustae sunt, iniquae autem, quaecunque iuri naturali interno seu imperfecto contrariantur.

§. XI.

Quae quum ita sint, mirum videtur, quae ratione vel quo iure Leges ciuiles, ab hominibus profectae et humana auctoritate conditae derogare possint Iuri naturali, quod vniuersale est §. VII., immutabile §. IIX. et Deum laudat auctorem §. V. Enimvero quum ea lex, quae alteri quid derogat, tollit quoad partem, obligationem legis, leges quoque ciuiles, qua naturali derogant, illi repugnare et contrariari nullus dubitat. Et intuitu quidem legum Romanarum admirationem praecipue mouet, Ius istud, aequitali naturali multum indulgens et a conditoribus ortum aequi et boni studiosissimis, Iuri naturali frequenter adeo derogare.

Scholion.

Studii iustitiae et aequitatis naturalis, cuius tot tantaque in legibus Romanis vbiuis occurrunt vestigia, aliquot dare sufficit specimina. Illae nimirum definiunt *IVRISPRVDENTIAM* (propter studium iusti et aequi si recte auguror) *rerum diuinarum atque humanarum notitiam* §. I. *Instit. de Iustit. et Iure*. Illae Ictos appellant *sacerdotes Iuris*, boni et aequi notitiam profitentes, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram affectantes *Philosophiam*, non simulatam. l. 1. §. 1. π. d. *Iust. et Iure*. Leges decemuirales, dictae καὶ ἐξοχόν Ius Ciuile, licet Romanis sacrae erant et inuiolabiles, aequitatis tamen sancte seruandae gratia Praetoribus ab antiquo indulserunt potestatem *adiuuandi, supplendi, corrigendi Iuris Ciuilis* l. 7. §. 1. ff. l. c. vnde Ius honorarium Edictaque Praetorum paulatim enata. Quamplurimis fictionibus iuris locum dant Leges Romanae non temerè, sed aequitatis ergo. Haec ipsa ratio est, cur fingunt et praesumunt in quasi contractibus consensum, vbi nullus re vera adest. Docent; *nullo Iure Ciuili*

*li naturalia iura corrumpi posse vel dirimi §. 3. Instit. de legit. agnat. tutela. l. 8. π. d. Reg. Iur. Praecipunt ex omnibus rebus praecipuam aequitatis quam stricti Iuris rationem habendam l. 8. Cod. de iudiciis. Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen, ubi aequitas euidentis poscit, subueniendum esse, l. 183. ff. d. R. I. quoties pactum a Iure communi remotum est, seruari hoc non oportere l. 7. §. 16. ff. de pactis.* Communiter obligatio naturalis, nisi iure Ciuili sustinetur, in foro ciuili inefficax est, nullamque producit actionem ciuilem. Romani autem obligationi mere quoque naturali (quam ideo in efficacem et inefficacem diuidunt nonnulli) ciuiles nonnunquam tribuerunt effectus, quos vide in *Celeb. BÖHMERI Iure digest. ad Tit. de obligat. et action. §. IV. SAM. COCCII I. Ciu. controuers. Lib. II. Tit. XIV. qu. XXXIX. et HEINECCII Elementis Iur. Ciu. sec. ord. Pandect. P. VI. §. CCCLXXXI.* Quinimo ne obligationi quidem naturaliter imperfectae omnem omnino efficaciam denegarunt ciuilem. Actionem ingrati etiam si non dari nec dari posse prolixè disputat *SENECA de benef. grato tamen ingratoque animo in Iure Romano multum tribui constat.* Ut accepta rependant beneficia, τῆς ἀντιπελαργίας ἕνεκα, liberis siue legitimis siue illegitimis officium incumbit alendi parentes et ascendentes egenos. *l. 5. ff. de ventre inspic. l. 5. Cod. de patr. potest. l. 2. Cod. de alcad. lib. Nou. XII, 2.* Eademque obligatio alimenta praestandi patronis liberisque eorum vel parentibus egenis libertis imponitur. *l. 5. ff. §. 18. seq. l. 9. ff. de ventr. inspic.* Propter ingrati criminis notam liberi exheredari possunt *Nou. CXV. Cap. III. §. 8. 12. 13.* manumissi in seruitutem pristinam reuocari. *l. 2. Cod. de libert. et cor. liber. Nou. 115.* donatio reuocari. *l. 1. et pen. Cod. de rev. don.* Propter neglecta eorum officia, quos necessitudo suscitatur et opem ferre iubet, quae uerba sunt *SENECAE de benefic. III. 8.* querela competit inofficiosi testamenti. Quid multa? In aequitatem naturalem adeo propendere leges Romanas, non est, quod miremur, cogitantes, Ictos, ex quorum scriniis compilata est potior pars Iuris Romani, Stoicae Philosophiae fuisse addictos, illi autem aequius et benignius ad-

aduersus strictam disputandi rationem probabant. Vnde solemnes formulae: *naturalis ratio id euincit, id naturae humanae congruum. vide Orat. Cornel. van Eck de Relig. et piet. veter. Ictorum* Insertam opusculis de sectis et Philosoph. Ictorum. quae coniunctim prodierunt cura Gotl. Sleuogtii, Ienae 1724.

§. XII.

Nihilo secius contrarietatis huius exempla hinc inde per totum Ius Ciuile sparsa primo cernimus intuitu. Imo vero rotundo ore fatetur VLPIANVS l. 6. ff. de Iust. et iure: *Quum aliquid addimus vel detrahimus Iuri communi (i. e. naturali) ius proprium, id est, ciuile efficimus, ille ipse, inquam, VLPIANVS, qui boni et aequi notitiam se profiteri asserit. L. §. 1. ff. L. c.* Ex innumeris autem, quae huius sunt generis, nonnulla saltem, quae luculentissima esse censeo Iuris Ciuilis cum naturali collisionis documenta, ex doctrina de pactis & dominio rerum delibabo.

Scholion.

Ius Naturae et Gentium haud inepte *commune* audit et Iuri Ciuili opponitur l. 6. d. Iust. et iure. l. 7. §. 16. ff. d. pact. quia cunctis hominibus inter se commune est, l. 1. §. ult. l. 9. princ. ff. d. l. et l. Ita Graecis quoque, CONSTANTINO Lib. I. epit. et ARISTOTELI in Ethicis frequenter dicitur κοινὸν νόμιμον.

§. XIII.

Et primo quidem loco mihi testimonio erit doctrina Iuris Romani de pacto nudo. Iure naturali quemlibet paciscentem ex pacto quocumque obligari, obligationem autem perfectam ex vna parte, cui vt correlatum respondet ius perfectum ex altera, enasci simul atque de perfectione constat pacti (modo verus adsit, deliberatus, liber et mutuus in idem placitum

consensus, modo promittens facultate gaudeat et voluntate se obligandi, ipsumque pactum de re honesta concipiatur) et pacti consequenter violationem coniunctam esse cum læsione tertii naturaliter prohibita, certo certius est. Quum enim alter paciscentium spondendo ius suum confert in alterum acceptantem, huic sane inuito ius ex pacto quæsitum sine læsione iterum auferri nequit.

### Scholion.

Falsa omnino est et reiectanea sententia doctissimi ceteroquin FRANCISCI CONNANI, Icti Parisiensis ac Consiliarii quondam Regii supplicumque libellorum magistri: pacta quae nullum habent *συνάλλαγμα*, nullam iuri naturae inducere obligationem. Aut enim pacta in genere firma erunt et obligatoria, aut quidquid est pactorum et contractuum, tam unilaterales quam bilaterales, tam onerosi quam benefici vani erunt, irriti et inanes. Vna enim eademque est in utroque genere obligandi ratio, deliberatus nimirum et liber consensus ille est, quo vnice nititur obligatio pactitia. Pone, si placet, contrarium. Finge nullam pactis in genere vim inesse obligandi; "Igitur nullum producet effectum, a destinato "autem sine aberrabit seriae destinataeque voluntatis nostrae "declaratio. Igitur eos inter, quibus datam frangere fidem religio est, et impudentissimos sanctae fidei violatores nullum "prorsus intercedet discrimen. Igitur hac ratione turpiter omnino evertitur sancta fides, firmissimum illud omnis iustitiae stabilimentum, subruitur summum illud et maxime conspicuum "virtutum fundamentum, turbatur pulcherrimus rerum ordo. "Igitur nulla erunt inter gentes fœdera, nulla legatorum et "commerciorum, nulla, quae ingens ceteroquin est et maxime fructuosa, ex mutuis contractibus utilitas; ita vt absque "firmitudine obligationis pactitiae vix ac ne vix quidem stare "possit vniuersa ista humani generis consociatio., Breui sic habeto refutationem indirectam, qua CONNANVM profligare con-

contendit Clarif. quondam Harderouici Professor GVILIELM. BEST *de pactor. et contract. natura.* Sed haec omnia forte minus congruè aduersus CONNANVM disputantur. Eum crederem potius aduersus civilem quorumcunque indiscriminatim pactorum, quam naturalem obligationem differere, quae sententia est IO. GEO. de KVLPIIS *in Collegio Grotian. ad lib. II. Cap. XI. §. 1. lit. (g).* Quidquid sit, non omnia ille in vniuersum pacta oppugnare et euertere tentat, sed illa, quibus nullum est *συνάλλαγμα*, quae temere ineuntur ex ostentatione magis quam ex voluntate, aut ex voluntate quidem, sed leui et parum consulta. Haud grauatim quidem largior pacta, quae ex inconsulta ineuntur voluntate et minus deliberato consilio, si de ea re satis constet, ne naturaliter quidem perfectam efficere obligationem, omnia autem pacta vnilateralia vel onerosa ex praecipiti et temerario animo enata, dicere non ausim.

§. XIV.

Quemadmodum autem iure naturali pacta quaelibet nullo habito discrimine obligare, nemini non exploratum est et persuasum; ita iure è contra Ciuili nuda pacta nullam parere obligationem et nullam igitur actionem civilem loquitur *l. 7. §. 4. π. d. pact. quum nulla subest caussa propter conuentionem*, haec verba sunt VLPIANI, *hic constat non posse constitui obligationem. Igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem.* Nec non IVLII PAULI *Receptar. Sententiar. lib. II. Tit. XIV. §. 1. si pactum nudum de praestandis vsuris interpositum sit, nullius est momenti, ex nudo enim pacto inter ciues Romanos actio non nascitur.* Attamen docet Ius Romanum et ipso quidem VLPIANO auctore *l. 1. π. d. pact. : Nihil tam congruum esse fidei humanae, quam ea quae inter eos placuerunt seruare.* Quinimo lex decem viralis ab antiquo perscripsit: *Rem uti pacunt, Orato. c: Si de re trans-*  
actum

actum fuerit, ita ius ratum esto. Vid. I. GOTTOFF. *Fontes Iur. civ. ad Tab. I. GRAVINAE Orig. Iur. lib. 2. N. 67.* HOFFMANNI *hist. Iur. Rom. Vol. 2. ad Tab. I. leg. 2.* GERH. NOODT *de pactis Lib. I. Cap. I.*

### Scholion 1.

Vi pacti nudi neque tollitur obligatio nec nascitur. Vt enim pacta nuda in genere non obligant, ita nec liberatoria.

### Scholion 2.

Refutationem vix meretur hypothesis MAESTERTII *de iustitia legum Romanarum lib. I. dub. 33.* statuentis, pacta nuda, nullam vi Iur. Rom. obligationem parientia, de pactis intelligenda esse non serio neque deliberato animo initis. Illud quod satis est contradixerunt ARNOLD, VINNIUS, CYPRIANVS REGNERVS, VLRICVS HVBERVS et alii. De noua autem sententia BODINI et a Maestertiana aliquantulum diuersa, in dissert. quam *vindicias pactorum Iuris Rom. etc.* inscripsit, vide *Illustr. LEYSERVM Med. ad Pandect. Spec. XXXIX. n. 11.*

### Scholion 3.

Dantur quidem pacta, quae non nuda dicunt siue *vestita*, vocabulo elegantioribus inuiso, civilem producentia effectum; scilicet vel *legitima*, quae speciali nituntur lege, (appellatione legis generaliore innuo, significatum, qui Seta, constitutiones Principum, Edictum Praetoris et Ius honorarium complectitur aequae ac leges strictae sic dictas) vt pactum donationis, pacta varia usuraria, nec non dotalia, quaeque pacta sunt Praetoria, constitutum et pactum hypothecae; vel contractui bonae fidei in continenti *adiecta*, vt addictio in diem, lex commissoria, pactum *προληψέως*, de retrouendendo, *ἀντιχρήσεως* et similia *l. 6. 7. 8. §. 6. l. 17. §. 2. ff. de pactis.* At vero ne illa quidem per se obligant, quod ex doctrina Iuris Rom. contractibus solis proprium est, sed quatenus vel lege adiuuantur, vel ex contractu, cui accedunt et partem illius constituere censentur, omnem vim accipiunt, vnde nudis opponuntur pactis, quae neque vi  
pro-

propria nec aliunde quaesita fruuntur obligatione; Pacta autem in genere contractibus opponuntur, qui vel nomen habentes vel saltem causam, propria vi obligant. l.7. §.1.2. ff. d. pact.

§. XV.

Vides igitur Iure Ciuili denegari obligationem, quae pactis quibuscumque naturaliter inest, et inde resultantem actionem ciuilem. Quoniam autem in ciuitatibus non nisi ope actionum forensium aduersus alios experiri licet (*Vis enim est et tunc, dicit, CALLISTRATVS l.13. π. quod met. caus. quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit.*) Eo ipso igitur adimitur simul exercitium illud Iuris perfecti extra ciuitatem naturaliter competentis, quod potestatem inuoluit adhibendi remedia cogentia et vi adigendi alios ad obsequium perfectis officiis praestandum. Haecine autem vera erit repugnantia, ubi lex altera iura tollit et obligationes, quas ponit altera?

Scholion.

Quia leges ciuiles contrariae Iuri naturali iniustae sunt §. X. Schol. 4. leges autem Romanae denegantes pactis obligationem ciuilem, quae naturaliter iis competit, Iuri Naturae in speciem saltem contrariantur, igitur eatenus quoque iniustae videntur; vel transiliunt minimum praecepta iuris priuati vniuersalis. Id enim legislatores in genere cauere debent, ne laesiones ciuium, vis et iniuria impune grassentur, quamobrem ea esse debet legum ciuilium ratio, ut ne denegent actiones ciuiles iuribus istis, quae naturaliter perfecta sunt.

§. XVI.

Dedimus exemplum denegatae quidem actionis ciuilis ex pacto nudo, ita tamen, ut exceptio inde aduersus agentem enascatur. Alia porro dabimus specimi-

mina obligationum pactitiarum merè naturalium, quibus nullo modo assistit Ius Ciuile neque actionem dando nec exceptionem. Ius Naturae quod attinet, nemo dubitat quin mulieres aequae ac masculi, filius haud secus ac pater familiae obligentur ex pactis in genere, tam ex mutuo et intercessione pro aliis, quam e ceteris quibuscunque. Quum enim ius naturae solum respicit consensum paciscentium, cui, ceu genuino fundamento vniuersam superstruit obligationem pactitiam, igitur nulla praesto est naturalis ratio foeminas vel filios, ab obligationis vinculo liberatura. Iis enim usum rationis indeque pendentem facultatem consentiendi et consensu dato sese obstringendi in vniuersum denegare, iniuria esset. Attamen legibus Romanis mulieres intercedentes pro aliis, nec non filiosfam. mutuo accipientes pecuniam, quae nec iussu patris sumpta, nec in rem versa est, exceptione *Scti Velleiani et Macedoniani* liberari ab obligatione soluendi, testantur *Tituli Pandect. et Cod. ad Sctum Vellei. et Macedon. Lib. XIV. Tit. 6. Lib. XVI. Lib. XIV. Tit. 1. Pandect. Lib. IV. Tit. 28. 29. Cod.*

### Scholion I.

Perpetua exceptione *Scti Vellej.* non actionem tantum, sed propter imprudentiam foeminarum ipsam quoque obligationem tolli, atque hinc solutum tanquam indebitum condici posse, *l. 40. ff. de condict. indeb. l. 32. §. 1. ad Sctum Vellej.* affirmat SAM. de COCCII in *Iure Ciuil. controuers. lib. XVI. Tit. qu. 7. reclamantibus* tamen plerisque. Vide sis praeter alios HVBER. *Prael. I. Ciu. ad Pand. lib. XVI. Tit. 1. §. 5. seq.* Ita vt mulierum intercessio in Iure Rom. reprobata, ne obligationem quidem naturalem producat docente IO. GOTHOFR. SCHAVMBVRGIO in *Annotat. ad Iurisprud. Struuii lib. III. Tit. LX. Aph. II.*  
Ra-

Rationem autem diuersitatis, quare ex Scto Macedoniano, fecus ac Vellejano, ipsa obligatio non tollitur, sed manet debitum indeque solutum non condicatur, etiamsi ex isto quoque Scto perpetua detur contra creditorem exceptio, hanc allegat laudatus COCCII, quod *exceptio Scti Maced. in odium et poenam actoris foeneratoris statuta sit adeoque solam actionem, non vero debitum eiusque effectus tollat.* Sane, si vera esset assumptio AVERANII asserentis, Sctum Vellejanum vim habere legis prohibitiuae, atque adeo beneficio Scti renunciari non posse, facilis esset conclusio, intercessionem foeminarum irritas esse et ipso iure nullas, AVERANIUM autem in hac caussa fortiter oppugnauit doctiss. IVST. HENN. BÖHMERS in *dissert. de Scto Vellej.*

### Scholion 2.

Sicuti nihil obstat, quo minus ex intercessione sua naturaliter obligetur mulier, ita recte inde concludit IO. VAN DER MEULEN *Part. 3 de Iure Poli cap. 23.*: quod si naturalis foeminam teneat obligatio, utique et in conscientia deuinctam eam dicere conuenit. Quum igitur haec naturalis obligatio oriatur ex consensu, soli Deo cognito, dicendum videtur, mulierem in foro conscientiae obligatam esse, si mulier et is quicum ea contraxit reuera purum ac firmum consensum praestiterint, nec interfuerit fraus aut laesio tam intolerabilis vel considerabilis, quae, si a contrahentibus cognita fuisset, eorum consensum remouisset. Molenio assensores sunt Guilhelm. Amesius in *Casibus Consc. et Tract. de Consc.* nec non VLRIC. HVBERVS de obligatione conscientiae ex legibus differens in *lib. 3. de Iure Ciuit. Sect. 1. cap. 3. et lib. 4. Digress. cap. 35. seq. Part. 1.* Filios autem familiae salua conscientia uti non posse Scto. Maced., prouti nec foeminae Vellejano docet HVBERVS modo laudatus *Praelect. Iur. Ciu. ad Pand. lib. XVI Tit. 1. §. 22.* Hac autem aliisque rationibus effectum id est, ut Sctum Vellej. Edicto Regio anni MDCVII. in Gallia abrogauerit HENRICVS IV., teste MORNACIO ad *Tit. Pand. St. Vellej. et ad l. ult. π. de Iur. et fact. ignor.* Id quod de variis itidem locis Germanice testan-

testantur STRYKIVS in *Vsu mod. Pand. ad lib. XVI. Tit. 1. et LV. DEWIGIVS diff. de Scto. Vellej. in Germania exule.* Britonum quoque moribus mulieres pro aliis obligari potuisse docet ARGENTRAEVS ad *Consuetud. Brittan. art. 2. Si calculos recte subducamus* (ita de Scto. Vellej. sentit GOTTL. GERH. TITIVS in *Iure Priv. Rom. Germ. lib. V. cap. XVIII. §. 21.*) merito illud tollendum esset, nulla enim est iniquitas, si foeminae ex intercessione spontanea obligentur et sine graui causa Ius Commune Scto suo turbarunt Romani ac controversis ambiguis forum compleuerunt. Addo quod vera ratio Scti Vellej. apud Romanos introducti, merè ciuilem fuerit, minimè naturalis. Illud enim in fauorem foeminarum neutiquam indultum esse, sed quod fideiussio haberetur munus ciuile, cuius capaces non erant foeminae, eisque igitur ab antiquo interdictam fuisse potestatem intercedendi pro aliis luculenter docent IOS. AVERANIVS *Interpr. Iur. lib. 2. cap. 5. et LV. DEWIGIVS in diff. de diff. Iur. Rom. et Germ. circa Sctum Vellej. Diff. 1. Vide l. 1. §. 1. l. 2. §. 1. π. ad Sctum Vellej.*

### Scholion 3.

Sctum Macedon. quod attinet, obligationem naturalem manere diserte asserit PAVLVS *l. 10. π. b t.* sed obligatione naturali conscientiam teneri plerique docent et Theologi et Iurisperiti: AMES. *lib. 5. de Consc. c. 41. §. 15.* BACHOVIVS *Vol. 2. Disp. 10. th. 9.* VINNIUS *ad §. 3. Instit. de Testam. ordin. n. 8.* Quamobrem pie statuit IAC. WISSENBACHIVS *ad Tit. Pand. d. Scto Maced. n. 32., filium familias in foro conscientiae non esse tutum hoc utendo Scto.* Nempe, si Iuris executionem impedire potuit Senatus, vim et obligationem iustitiae, quae non patitur alienum usurpare vel cum iniuria et damno alterius locupletari, tollere non potuit. In quam sententiam multa in vtramque partem variasque auctoritates conegit VAN DER MEVLEN *l. c. 9. 20. Conf. HVBER. v. cit. et Praelect. Iur. Civ. ad Pand. Lib. XIV. Tit. VI. §. 5. Lib. XVI. Tit. 1. §. 22.*

§. XVII.

§. XVII.

Quod attinet porro ad filiosfam, iure Rom. nec illi patri, nec pater illis obstringi potest et deuinciri, quemadmodum nec serui dominis, nec alii quicumque alieni iuris illi, cuius potestati subsunt, obligari possunt, §. 6. Instit. de inutil. stipulat. Rationem desideras quod ad filios, Iustiniana haec est, quia nemo sibi ipsi obligatur, *natura autem pater et filius eadem esse persona pene intelliguntur l. 11. Cod. de impub. & al. substit.* Hanc vero rationem civilem esse, non naturalem, nec quid obesse, quo minus obligationes inter patrem et filium naturaliter subsistant, nemo non perspicit. Fictio enim identitatis moralis, quam inter patrem et filium intercedere credunt, haud secus ac coeterae quaecunque fictiones, foetus sunt iuris ciuilibus, in iure naturali exules, vid. DAN. FRID. HOHEISEL *de fict. iur. e iurisprud. elimin. disp. prior. §. 18. seq.*

Scholion.

Ratio haec, cur nulla sit inter patrem et filium obligatio, ex identitate morali hausta, Iustiniano Imperatori originem debet. Eam enim ignorari a iure Veteri, nec veram esse, nisi quatenus conclusio est regulae istius: quidquid filius acquirit, acquirit patri, solide perspecteque docet B. THOMASIVS *de usu pract. Tit. Instit. de patr. potest. Cap. 1. §. XLIX* Quum autem serui quoque adquirebant dominis, igitur nec illi dominis obligabantur, licet nulla eos inter et dominos versabatur fictio identitatis moralis. Altera intuitu seruorum accedit ratio, quia nulla fruebantur communiione Iuris Ciuilibus, quod eos pro nullis habet et mortuis l. 32. ff. de R. I. ideoque nec dominis ex stipulatione obstringi poterant ciuilibus, nec actio aduersus eos nasci, quamuis naturaliter obligentur l. 14. et 20. d. oblig. et action. l. 61. d. furt. l. 19. pr. D. d. negot. act.

## §. XVIII.

Iuxta principia Iuris Rom. alteri stipulari vel pacisci nemo potest, nisi iuri illius subiectus sit. *Inuentae sunt enim huiusmodi obligationes ad hoc, ut unusquisque sibi acquirat, quod sua interest: ceterum ut alii detur, nihil interest stipulatoris: haec ratiocinatio est VLPIANI l. 38. §. 17. ff. de verb. oblig. conf. §. 19. Instit. de inuicil. stipul.* aberrare autem philosophiam hanc a norma iuris naturalis, neminem latet, qui rationem ducem sequitur. Haec enim si vera sunt socialitatis principia, societatem humanam, quam *cognationem naturalem* dicit FLORENTINVS l. 3. ff. d. iust. et iur. sustinentia et amico nexu homines inter se conglutinantia, quae CICERO praecipit lib. I. offic. cap. 7. *homines hominum causa generati sunt, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint. In hoc naturam debemus ducem sequi et communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines societatem; illa simul euincunt in commodum et utilitatem tertii etiam valide contrahi pactumque iniri posse.* “*Quum enim promissum obliget ideo, quod ab altero acceptatum sit, et ex ea acceptatione ius perfectum ab altero promissum exigendi acquisuerit, et sine promissi acceptati implemento fides humana, solidissimum illud humani generis ligamen iustitiaeque fulcrum certissimum conservari nequeat, consequens est, promissum, quod non tantum in proprium, sed etiam in alterius commodum et usum vergit, sancte seruandum, nec promissori integrum esse ab eo recedere. Hoc vero ut impetretur effectumque habeat praeterea necesse est, ut non tantum stipulanti, sed* “*er-*

"etiam tertio in cuius utilitatem pactum initum est, ius per-  
 "fectum acquiratur, idque etiam ex voluntate et intentione  
 "praesumpta paciscentium, qui id egisse videntur, ut tertio  
 "ius efficax perfectumque acquiratur, ne alioquin actum  
 "inanem et rem sine effectu egisse censeantur. Quid vero  
 "impediret, quo minus ius perfectum in tertium ex volunta-  
 "te paciscentium adquiri posset, cuius nomine promissum a  
 "compaciscente acceptatum esse constat? Nihil enim tam  
 "conueniens est naturali aequitati, quam voluntatem domi-  
 "mini vel promittentis, volentis rem suam vel ius perfectum  
 "in alium transferre, ratam haberi, ut recte rationes sub-  
 "ducit Imperator §. 40. Instit. de rer. diuis. Accedit quod  
 "is, qui rem alterius, etiam sine mandato egit, ex sua ge-  
 "stione ei se obstringat, cuius commodum quaesuit, et con-  
 "sequenter eius intersit, ut tertio, cuius gessit negotia, ius  
 "erga promissorem acquiratur, idque ex aequo et bono, ut  
 "etiam leges Rom. agnouere," l. 2. π. de negot. gest. Ita  
 BÖHMERSVS de iure ex pacto tertii quaesito §. 5. Cap. 1.

§. XIX.

Ut ceteras silentio praetermittam, personas vel  
 res, quarum intuitu in legibus Romanis, secus ac iu-  
 re naturali, restricta est paciscendi facultas, vnicum  
 adhuc ex doctrina de contractibus praebebo documen-  
 tum, non quidem sicuti in ceteris, denegatae in foro  
 ciuili, quae naturaliter competit, sed ex aduerso fir-  
 matae ciuilitate et roboratae obligationis, quae natura-  
 liter nulla est et inefficax. Exempli loco erit efficien-  
 tia doli et metus in contractibus. Vi propria subsiste-  
 re contractus, etiamsi dolus accedit vel metus, aliquo  
 saltem observato discrimine inter negotia bonae fidei et

stricti iuris, docent leges Romanae. Negotia nimirum  
 stricti iuris, etiam si vel dolo contrahendo causam de-  
 derit, ceu docet exemplum Canni apud CICERO-  
 NEM *lib. III. de offic. cap. 14.* vel iniusto metu a com-  
 paciscente incusso adactus aliquis contraxisset, si pau-  
 cos secernas casus a regula generali exceptos, ipso iu-  
 re nihilominus subsistebant. *l. 36. et 99. ff. de verb. oblig.*  
*l. 9. Cod. de contr. et commit. stipul. l. 21. § 4. ff. quod met.*  
*caus.* Hanc vero doctrinam iuris Rom. prorsus alie-  
 nam esse a praeceptis iuris naturalis nullus dubito. E-  
 nim vero tam metus, quam dolo si essentialis fuerit  
 siue substantialis, idest, si causam dederit contractui,  
 ita ut dolo vel metu ad contrahendum a compaciscenti-  
 te inductus fuerim, alias non contracturus, consensui  
 sane aduersatur ac obest. Naturaliter autem, quia  
 nulla est obligatio deficiente libero prorsus consensu,  
 sequitur omnino, dolo vel metu, qui causam dat con-  
 tractui, accedente, nullam enasci obligationem pacti-  
 tiam. Porro, *quoniam nemo alterum vel dolo vel vi aut*  
*metu incusso adigere debet ad promittendum, igitur, qui do-*  
*lo, vi vel metu incusso ad promittendum alterum adigit, nul-*  
*lum inde ius id quod promittitur exigendi, acquirere potest,*  
*consequentur quum nulla sit obligatio cui non respondeat ius*  
*vllum, ex promissione etiam dolo, vi vel metu extorta nulla*  
*nasci potest obligatio, adeoque promissio omnis dolo, vi vel*  
*metu extorta invalida est.* vid. Cel. ISR. CANZII *discipl.*  
*moral. §. 332. seq.* HENR. KÖHLERI *Exercit. Iur. nat. VII.*  
*§. 1382. 1396.* Illustr. D. WOLFFII *Ius Naturae P. III.*  
*cap. IV. §. 567.* Neque natura rei id postulat, ut more  
 Iuris Romani adhibeatur discrimen inter contractus  
 bonae fidei et stricti iuris. Quidquid enim reclamant  
 prae-

praeter Scriptores Iuris naturalis GVIL. BESTIVS *in fin. Orat. de pact. et contract. natura et aequit.* AVG. BALTHASAR *de contract. et action. b. f. et strict. iur.*, HVBER. *Prael. I. C.* et IOH. FABER *ad lib. IV. Tit. VI. §. 28. Instit.*, opinantes, eorum contractuum, qui bonae fidei dicuntur, usum magis esse necessarium, atque propterea actiones eorum esse debere pleniores, quibus patrocinari videtur CICERO *de offic. lib. 3. causam*, cur b. fidei quaedam sint actiones, hanc reddens, *quod iis vitae societas contineatur*, attamen distinctionem hanc quantam quantam commentum esse iuris civilis, non naturalis, persuasissimum mihi est. vid. CANTZII *discipl. moral. §. 2166. seq.* Neque naturalis ratio, quae sufficiens est, allegari potest, cur aequitas magis attendi debeat, et dolus ac metus consensum potius afficiat in b. fidei quam stricti Iur. negotiis.

### Scholion I.

Romani quidem Praetores paulatim dabant propter dolum et metum in contractibus str. iur. restitutionem in integrum, sed hoc ipsum beneficium Praetoris documento est contractus strict. iur., licet dolus aut metus causam det contractui, ipso iure subsistere. Originem vero debet doctrina isthaec iuris Romani philosophiae Ictorum Stoeae fere addictorum. Illi enim existimabant, non omnem contractum dolo nullum fieri, illi *coactum etiam velle* docebant *l. 21. §. 5. quod met. caus.* Stoici, quum sapientem virum negarent villo metu perturbari, non poterant sane favere ex metu aliquid agentibus tamquam stolidis et affectuum suorum intemperie agitatis. CVIACIVS *Obseru. XVI. 40.*

### Scholion. 2.

Multi quidem scriptores iuris naturalis in contrariam sententiam pedibus eunt existimantes, eum, qui dolo inductus vel  
me-

metu adactus promisit aliquid naturaliter quoque obligari, illum vero, qui dolum aut metum intulit iniustum, teneri saltem ob damnum iniuria datum. Ex numero plurium solum nominavisse sufficit virum illum magni nominis HUG. GROTIUM de I. B. & P. lib. II. cap. XI. §. VII. GROTIUM autem, perspicacissimum cetera, vna cum celeb. GVNDLINGIO in Via ad veritat. iurisprud. Nat. cap. X. §. LV. decepisse credo ius Romanum. Peccatum enim est ea in re saepius etiam a celeberrimis Ictis (verba sunt Dni. LEYSFRI Med. ad Pandect. Sp. XXXIX. n. III.) quod omnia ea, quae a priscis Ictis Romanis excogitata sunt, ad leges naturales transferant et in illis fundamentum habere credant. Attamen nec deficiunt sententiae nostrae, quam rectiorem esse censemus, patrocinantes, scilicet praeter WOLFIVM, CANZIVM, KOEHLERVM, quos modo nominavimus, PVFENDORFIVS, THOMASIVS, HEDINGERVS, TESMARVS, VITRIARIVS, TITIVS, HOGSTETERUS, VFFELMANNVS, BVDDIVS, GVNDLINGIVS, DARIES, alii, licet hi quoque, quoad demonstrationem thesios, quam communi comprobant assensione, in diuersa abeant. Vrgent praepriis secus sentientes dolo licet adhibito vel metu incusso, libertatem nihilominus et moralem facultatem consentiendi subsistere. Fateor non omnem omnino tolli libertatem. Attamen nec subsistit, qualis in pactis requiritur, vt inde oriatur obligatio pactitia, libera prorsus et ab iniuria compaciscentium immunis.

### Scholion. 3.

Imo vero ius pactitium civile eis adquiri, qui dolo vel metu causam dederunt contractui, id maxime contrarium est principiis iuris privati vniuersalis. Sedulo enim cavendum est legislatori, ne ex dolo vel alio quocumque actu illegitimo lucretur aliquis et iniquum sane foret, promittentem obligare in favorem eius, qui contra leges deliquit.

§. XX.

## §. XX.

Relicto nunc argumento de contractibus, in aliud prolabor de dominio rerum, inibi quoque nonnullas perstricturus iuris naturalis et ciuilibus repugnantias, sed per indicem modo et in arctissimum contractas, ne nimia sit recensio et lectori molesta. Iure naturali, in acquisitione deriuatiua per contractum, solus domini consensus de re sua in alium acceptantem transferenda, sufficit ad acquisitionem dominii. Ille enim reciprocus paciscentium in contractu dominii alienatiuo, consensus, sufficientem complectitur rationem alienationis ex vna parte factae, et acquisitionis ex altera. *GROTIUS de I. B. et P. lib. II. cap. VI. §. 1. et 2. et cap. VIII. §. 25. Nihil tam conueniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi: ita IVSTINIANVS §. 40. Instit. de diuis. rer., perperam autem inde concludens: per traditionem quoque iure naturali res nobis adquiri. Ius ciuile è contra praeter titulum ad transferendum dominium habilem, vt dominium rei legitime adquiratur, accedentem postulat traditorem, l. 20. Cod. de pact. Re nimirum per contractum alienata, ipse contractus dominii alienatiuus titulum constituit, traditio autem, ceu modus acquirendi ciuilibus, dominium perfectum. Vterque enim ad acquisitionem dominii concurrat. Nec titulus sine traditione, nec traditio sine titulo dominio conferendo sufficit. Titulum igitur *causam* dicunt *remotam*, modum acquirendi *causam proximam* dominii.*

D

Schö-

## Scholion I.

Plerumque quidem in acquisitione deriuatiua traditio necessaria est ad acquisitionem dominii, vel vera, vel ficta et symbolica. Aliquando tamen et sine traditione ipso iure transit dominium, veluti in legatis, l. 64. de furt. l. 80. de legat. & fideic. lib. 2. in iudiciis diuisoriis §. ult. Instit. de offic. iud. in commissis l. 14. de publican.

## Scholion 2.

Valde dubito recentiores philosophos MODVM ADQVI-  
RENDI DOMINIVM definiētes: *Factum legibus conueniens, quo dominii reddimur participes* TITVLVM vero: *Ipsam legem vel rationem acquisiti dominii in lege fundatam*, bene mereri de ICTIS. Sicuti enim distinctio haec inter titulum et modum acquirendi iuris ciuilis est non naturalis, conformata vnice ad doctrinam iuris Romani, praeter contractum dominii translaticium traditionem rei exigentis, ita memoratae istae definitiones discrimen inter vtramque dominii causam indigitantes, sensum iuris ciuilis explanant nequaquam. Scilicet, vt syllogistice res illis cedat, in occupatione, v. gr. ope huiusmodi ratiocinii dominium adquiri docent: *occupans fit dominus* (ecce titulum!) *Titius rem occupauit* (hic modus est acquirendi.) *E. Titius est dominus rei*: sed incongrue illi ex acquisitione originaria exemplum afferunt collustraturi differentiam inter titulum et modum acquirendi. In originaria enim inter vtramuis dominii causam nihil interest. Praeterea maior propositio exempli allati, quae titulum exhibebit seu rationem legalem dominii acquirendi, ad mentem iuris ciuilis non titulum sistit, sed modum acquirendi; minor autem nec titulum nec modum acquirendi, sed factum aliquod singulare. Aliud autem, si placet, ob oculos tibi siste exemplum, haustum ex acquisitione deriuatiua, cui soli congruit distinctio ciuilis inter titulum et modum acquirendi, vt inde cognoscas, num genuinae sint illae, quae philosophis placent, definitiones. Per formam denuo syllogisticam vt distin-

ete

Et hanc rem explanemus, de modo acquirendi deriuatio tale formandum est argumentum generale: *Quicumque dominus rei, praeuio contractu dominii translatio rem suam transfert in possessionem alterius, ille dominium rei suae in alterum deriuat, consequenter efficit, ut alter adquirat sibi dominium rei.* Titius praeuio contractu dominii translatio rem suam transtulit in possessionem Meuii. E. Titius dominium rei suae deriuauit in Meuium, atque ideo efficit, ut Meuius acquisuerit sibi dominium. Si nunc iterum dixeris, maiorem propositionem huius argumenti, quia legem sistit, titulum indigitare, in minore autem, quia factum exhibetur singulare, contineri modum acquirendi: omnino aberras a vero sensu tituli et modi acquirendi, qui iuri ciuili conformis est. Maior re vera propositio et titulum complectitur et modum simul acquirendi, minor haec iterum neque titulum, nec modum acquirendi, sed factum aliquod singulare. Modus autem acquirendi factum denotat generale potius ac singulare. Generale dico, quia vi legis Ciuilis praeter titulum ad acquisitionem dominii actus traditionis in genere necessarius est. Denique ut breui me expediam, oppido falsum id est, titulum solum complecti legem et modo acquirendi indigitari singulare factum. Vtraque causa dominii tam remota, s. titulus, quam proxima s. modus acquirendi, lege nititur de dominio, vi facti alicuius lege praescripti, acquirendo. Alterum factum est contractus dominii translatus, alterum traditio rei. Hoc autem factum vtrumque concurrere debet, ut iuxta formam iuris ciuilis dominium rei legitime tibi adquiras.

§. XXI.

Res naturaliter, non homines dominio obnoxii sunt. Miraberis igitur in iure R. eo vsque patuisse potestatem patriam et dominicam, ut filii patriae potestati subiecti, aequae ac serui, rebus mancipi annumerati, proprietati subessent dominorum et patrum. Vnde effectum id est, ut in commercio essent, vendi possent,

sent, quocumque modo alienari, imo occidi. Si dixeris principia haec esse iuris ante-Iustiniani: regero, ne in Iustiniano quidem oblitterata prorsus esse vestigia iuris istius antiqui. Aeno quoque Iustiniani substituerunt iura dominorum in seruos, si licentiam excipias libere et impune saeuiendi in corpora seruorum. Hodieque pater, peculiis exceptis, per filium acquirit, §. 1. 2. l. per quas pers. l. 10. §. §. 1. ff. de rer. acq. dom. l. 6. Cod. de bon. quae lib., vindicare potest filium, l. 1. §. 2. d. R. V. l. 14. §. 13. l. 38. π. de furt. (cuius rei exemplum elegantissimum suppeditat PETR. AERODIVS, Ictus olim apud Gallos celeberrimus, vindicans filium suum, inuito patre in societatem Iesuitarum abeuntem, vid. LEYSERI ad Pand. spec. XVII. med. 1. Etiamdum liberi in potestate patris tempore mortis ita constituti, vt in alterius potestatem recasuri non sint, sunt haeredes sui et necessarii §. 2. l. de haered. qual. & diff. §. 2. l. d. haered. ab intest. haereditatem sibi duntaxat delatam ad omnes transmittunt haeredes suos et extraneos. l. 3. 19. Cod. de iur. delib., carent beneficio repudiandae haereditatis §. 2. Inst. d. haered. qual. l. 57. ff. d. acquir. vel omitt. haered.

## §. XXII.

DOMINIVM est facultas disponendi de re nostra pro arbitrio. ALIENATIONEM dicimus omnem actum, per quem dominium transfertur in alium l. 1. Cod. de fund dot. Quum vero disponat de re sua, quicumque rem alienat, ex notione dominii prono alueo consequitur, nos vi dominii gaudere facultate rem nostram pro lubitu alienandi, et suae quidem rei, sicut rescriptis Imp. CONSTAN-

STANTINVS l. 21. Cod. mand. vel contra, quemlibet moderatorem esse atque arbitrum. Quoniam facultas de re nostra libere disponendi nobis relicta non est, nisi coniuncta simul sit cum iure excludendi et arcendi alios ab usu rerum nostrarum, sequitur porro, re nostra, nostris nisi auspiciis, sine iniuria, potiri neminem posse. Manifesta hæc sunt et omni exceptione maiora iuris naturalis praecepta. In iure tamen civili accidit aliquando, quod diserte fatetur IVSTINIANVS, ut qui dominus rei sit, alienare non possit, et contra, qui dominus non sit, alienandae rei potestatem habeat, princ. Inst. quib. alien. licet. Certis alicubi personis, licet rerum suarum dominis interdicit facultatem iure naturali competentem, de re sua disponendi eandemque alienandi; pupillis nimirum, quamuis infantia maioribus, qui nullam rem sine tutoris auctoritate alienare possunt §. 2. I. quib. alien. lic. Imo si res immobilis pupillorum alienanda est, si debitum pupillare soluendum, ne quidem sufficit auctoritas tutoris, l. 1. π. d. reb. sin. decr. non alien. l. 25. Cod. de peric. tut. et curat. Nec non marito, qui, licet dominus sit rerum dotalium, l. 23. Cod. d. iur. dot. et l. 9. Cod. de R. V. (quod dominum civile dicunt Doctores, naturale autem, quod vxori competit) attamen fundum dotalem, ne consentiente quidem vxore, alienare potest vel oppignorare l. vn. §. 15. c. d. rei vx. act. pr. I. quib. alien. lic. Alicubi non domino facultatem tribuit rei alienandae et in alium transferendae, id quod cernere licet in creditore distrahente pignora §. 1. l. c. Nonnunquam sine consensu domini ius pignoris tribuit in re aliena, vid. lib. XX. ff. Tit. I. et II. Imo vero iure civili dominium rei tuae acqui-

rere potest alius, nullo licet tuo accedente consensu. Vfusucapio nimirum, quam *impium iniquorum hominum praesidium* ipse IVSTINIANVS nuncupare non dubitat *Nov. 9.*, illa est, quae beneficio possessionis diuturnae non domino dominium rei alienae acquirit.

### Scholion.

Frequentior quidem est Ictorum numerus, qui iuri naturae vsucapionem asserere contendunt; attamen neque nulli sunt, nec doctrinae laude ignobiles, eam ex doctrina iuris naturalis prorsus exterminantes, scilicet: SAM A COCCII, GLAFEY, HEINECCIUS, PETRVS PVTEANVS, DARIES, LANGEMACK, et proximo quidem anno FRID. CHRIST. DE LA ROCHE GALLICHON *in diss. in qua demonstratur, praescriptionem non esse iur. nat.*, sub praesid. M. IOH. ERN. GVNNERI eandem telam pertexere sategit. Urgent nimirum nec expressum, nec tacitum, vel praesumptum consensum prioris domini in tutamen et propugnaculum vsucapionis recte allegari. Quippe quum in vsucapione non voluntas domini respiciatur, sed diuturnitas possessionis; diuturna autem possessio etiam si non interrupta, tale non est factum, vnde cum ratione sufficiente ad consensum domini vel maxime scientis concludere liceat. Addunt voluntatem derelinquendi vel alienandi rem suam, quam priori domino tribuunt, vel ideo improbabilem, quod vi brocardici vulgaris, *nemo rem suam iactare praesumatur*. Deficiente autem voluntate derelinquendi rem suam aut in alium alienandi, nullum locum esse concludunt acquisitioni vel originariae vel derivatiuae, consequenter fundamentum vsucapionis in iure naturae frustra perquiri.

### §. XXIII.

Quaeritur num testamentifactio sit iuris naturalis? id est, num, posito et introducto a genere humano rerum dominio, domini ex natura domini potestatem habeant res suas relinquendi aliis per testamentum? hac ratione statum

tum controuersiae format B. THOMASIVS *in disp. de orig. success. testam.* §. VIII. Grauiissimae, si recte iudico, sunt rationes, quae ab affirmante sententia animum abducunt. Ita enim ratiocinantur, qui in negatiuam transeunt: *Causa dominiorum est utilitas quam quis ex rebus externis singulariter et priuatiue percipere possit:* Verba sunt KÖHLERI *Exerc. VII. Iur. nat.* §. 1648. Res autem dominio obnoxias et commoda ex usu rerum redundantia, quum ad sortem praesentis vitae humanae accommodata sint, transire sub ipsum transitum ad mortem, et vna cum morte domini emori nemo dubitat. Cessante igitur causa cessat effectus; cessantibus nimirum post mortem domini emolumentis quibuslibet ex rerum dominio percipiendis, ipsum quoque dominium et effectus domini non poterunt non cessare. Urgent porro declaratam in testamento voluntatem testatoris, veram nequaquam efficere, quae naturaliter subsistere possit, alienationem. Duas potissimum afferunt assertionis suae rationes. Prima mihi erit, quia in omni alienatione duorum, et rem transferentis et translationem acceptantis voluntates et consensus reciproci conspirare debent, in testamentis autem sola respicitur testatoris voluntas, imo post mortem quoque illius haeredi liberum est, adire velit haereditatem, an repudiare. Altera: quod testamenta ad dies vitae ambulatoria sint, id est, mutabilia et reuocabilia, ita vt testator plenissimum sibi ius in omnia sua bona sine vlla diminutione retineat, vnde decantatissimum illud apud Ictos inueterauit axioma: *haereditatem non esse vinentis.* Alienatio autem quia veram indigitat domini ab alio in alium translationem,

nem, atque adeo in persona, in quam res transfertur, dominium ponit per alienationem verè quaesitum, igitur nec testamentum dici potest alienatio. Obiiciunt quidem aduersarii ad dies vitae nihilo secius naturaliter subsistere ius domini, quamobrem in mortis articulo de rebus nostris disponere possumus, quippe quum vltimum quoque vitae momentum ad vitam pertineat. Sequamur igitur assumptionem hanc et fingamus dispositionem testamentariam, quae in vltimo vitae articulo vim et stabilimentum sortiatur; attamen si testamentum sit vere sic dictum, illud in ipso quoque vitae exitu ambulatorium erit; salua enim et inconcussa manet, donec supersumus libertas mutandi voluntatem, nec prius velle desinimus, quam spirare, vt nihil dicam *in articulo mortis cessare utilitatem ex dominio rerum*, quae responsio est b. KOEHLERI *l. c. eodem itaque temporis momento exspirare dominia et iura illis annexa, et ex consequenti ius transferendi rerum dominia in alios*. Enim vero etiam si dixeris alienationem in testamentifactione intercedere iure naturali perfectam et numeris omnibus absolutam, nihilominus testamenta vel ideo iuri naturali repugnant, quod facultas illa disponendi de rebus nostris pro arbitrio, quam dominium nuncupant, ultra causam domini introducti patere non possit, patet autem ultra naturalem causam domini, vbi testator de dominio bonorum post mortem disponens, effectum domini extendit vltra definitos limites, quos utilitas ex dominio rerum percipienda constituit. Ex quo constat, vt si quam vltimae voluntates firmitudinem adipiscantur, id sola lege euenire censendum sit, non  
na-

naturali ac necessaria, sed ciuili ac voluntaria. Confer praeter THOMASIVM et KOEHLERVM *ll.c.* EDM. MERILLIVM *obseruat. lib. VIII. cap. XXV.* GVNDLINGIVM *de Principe haerede ex test. civ. cap. 1.* IO. GOTHOFER. DE COCCEIIS *diss. de test. Princip. Part. 1. §. 22. seq.* SAM. DE COCCEII *iur. civ. controv. lib. XXVIII. Tit. 1. qu. 1.* HEINECCIUM *de testamentis. iur. Germ. arct. limit. circumscr. §. 3. seq.* HENR. ERN. KAESTNERVM *in Iur. Nat. et Gent. Cap. XIII. §. 1. 2.*

Scholion.

Difficultates sibi neētunt, quas vix eluētari valent, quicumque testamenta cum iuris naturalis principiis in gratiam reducere moliantur. Sunt nimirum, qui in extremo vitæ articulo, quod per totum vitæ testatoris curriculum frustra perquirunt, praesidium quaerant. GOTHOFER. GUIL. LEIBNITIVS, vir acutissimi ingenii in *nova methodo Iurisprudentiae pag. 56. seq.* vt remedium sisteret testamentorum stabilitati applicandum, mortuos vere testatores rerum suarum dominos manere, atque relictos ab illis haeredes tamquam procuratores in rem suam considerandos esse finxit, confugiens ad animorum immortalitatem, vt perdurare videatur voluntas mortuorum. Sed fictionibus huiusmodi nodum secant potius quam solvunt. Attamen eandem ingressi sunt viam Icti Romani, variis itidem excogitatis fictionibus iuris testamenta, auctoritate legis decemviralis stabilita, sustinere allaborantes, quae naturaliter subsistere non posse probe animadverterunt. Illa enim in calatis olim comitiis facta, testamenta vera nequaquam fuisse et in sensu proprio secundum recentioris iuris Romani significatum sic dicta, nec libere ea revocari potuisse sine nova lege a populo lata, iam dudum demonstraverunt viri clarissimi: THOMASIVS *diss. de prim. init. success. testam. ap. Rom. §. 20.* HEINECCIUS *in Synt. antiquit. Rom. Iurisprud. illustr. lib. II. Tit. X. §. 2. & diss. de orig. testamentis. §. 13.* ALB. DIET. TREKEL *de orig. & progr.*

*progr. testamentif. cap. II. §. XII. seq.* Icti autem totam testamenti rationem in nudo constituunt figmento, quod scilicet tempus confecti testamenti, tempus mortis testatoris, & tempus aditionis jungantur, & sic tam confectio testamenti, quam aditio haereditatis in momento mortis contigisse fingantur, monente id COCCEIO *in Iur. Civ. controvers. l. c.* GROTIUS denique alia ratione tricis obviis se expedire non potuit, quam testamentum speciem alienationis constituendo, & voci igitur alienationis alienam prorsus et ab usu remotissimam subiiciendo notionem. In testamenta enim, quod docuit THOMAS. *d. orig. success. testam. §. 1. seq.* omnino non congruere notionem alienationis, ex ipsa hac §. abunde, puto, constat.

#### §. XXIV.

Deficiente testamento in subsidium introduxerunt leges civiles successionem legitimam s. ab intestato. Et in ea quidem determinanda iuxta principia iuris privati vniuersalis ad eos proxime ex cognatorum numero devolvi iubent successionem haereditariam, quos defunctus probabiliter prae ceteris amore complexus est. Ab hac autem norma nimium quantum aberrant leges Romanorum antiquae, aequae ac Iustinianae. Lex 12. tabularum mortuo intestato, cui suus non erat haeres, agnato proximo familiam addicit. *pr. Inst. d. legit. agn. success. l. 195. §. 1. π. de V. f.* Iure autem vniuersali quis agnatos diceret praeferendos cognatis, & ita quidem, ut hi a beneficio successionis haereditariae plane excludendi essent? Recte id observavit Imp. Iustinianus; *in Nov. 118. cap. 4.* Ille ipse vero in ordine descendenti-um, nepotibus, pronepotibus et reliquis, siue gradu aequales sint, siue inaequales, nec non inter collaterales, nepotibus ex fratribus sororibusque defuncti, vel ut propiores excludant vel ut vna cum iis admittantur, su-

successionem tribuens in stirpes, ille, inquam, in ordine ascendentium, aequalibus gradu successionem in lineas praescribens, ille paritatem cognationis et inde profluens ius concurrenti simul in successione aestimans ex civili graduum computatione, ut cetera taceam, ab assumpto principio successionis ab intestato quam maxime declinat.

§. XXV.

Haec sunt in doctrina iuris civilis, et innumera alia nullo negotio accumulari possent, quae praeceptis iuris naturalis, addendo aliquid vel detrahendo, in speciem aduersantur. Nihilo fecius calculis rite positis circumspicisque vera ratione et principiis legum civilium, ob oculos patebit pugnam hanc inter ius naturale et civile quantam quantam apparentem esse, non veram. Leges sane civiles naturali contrariari non debent, et, si contrariantur, iniustae sunt et ab omni obligatione vacuae. §. X. Minime autem contrariantur iuri isti vniuersali, pro ratione finis quo collineant, addentes aliquid vel detrahentes: Id quod sequentibus et indubiis, quod credam, firmabo argumentis. Statum hominum naturalem, quod nemo est, qui ignoret, a civili discriminant: *Naturalem* absoluunt iura, quibus homines natura instructi sunt, *Ciuilem*, quae Societate civili nituntur. Horum autem diuersorum statuum respectu lex naturalis a civili differt. *Lex naturalis* per naturam nostram nos obligat rationalem et socialem, §. IV. Socialis ista natura hominum considerari potest vel intuitu vniuersalissimae, quae inter vniuersum hominum genus intercedit, societatis, vel civilium, quae facto humano introductae sunt, socie-

tatum respectu. In ciuilibus iterum societatibus vel ea considerantur, quae omnibus in genere ciuitatibus communia sunt, vel singulis propria. Ex diuersa illa consideratione nascitur differentia status naturalis et ciuilis, et exinde denuo illud quod inter ius vniuersale et particulare interest discrimen. *Ius vniuersale* naturam hominum respicit in genere consideratam; unde ad vniuersale referri debet tam ius ciuile s. priuatum vniuersale, quod determinationem nanciscitur ex statu ciuili generatim considerato, quam leges respicientes societatem hominum vniuersalem extra ciuitatem in statu naturali consideratorum, quas ius naturae stricto sensu nonnulli appellant, alii ius naturae absolutum conf. §. VI. Ad *ius autem ciuile particulare* quaecunque leges auctoritate summi imperantis rogatae singulares concernunt res publicas. Si vero ius naturae stricte sic dictum statum ponit naturalem, leges autem variant pro diuersi ratione status sequitur, deficiente statu naturali, ipsam non posse non simul deficere legem naturalem, et mutato illo alioque introducto statu, aliam quoque locum obtinere legem.

### Scholion I.

Communis haec erat Ictorum Romanorum, quae scriptorum iuris naturalis eadem est sententia: Quod iuri naturali ciuile repugnare nequeat. Ex II. allegatis in Schol ad §. XI. abunde id elucescit, quibus ex *Institutionibus* saltem IVSTINIANI duo porro addam huius rei documenta. Ille autem §. II. de *haered. ab intest.* tale ponit principium legum suarum: *Naturalia iura ciuilis ratio perimere non potest*, et si forte leges olim occurrant sententia Imperatoris iuri naturae contrariae, mutandas eas esse et emendandas censuit: *Principes non passi sunt*, inquit §. 15.

§. 15. l. c. iniuriam contra naturam sine competenti emendatione relinquare.

Scholion 2.

Antiquos quoque philosophos Stoicam secutos sectam, rempublicam siue societatem maximam, qua Dii et homines contineantur, ab altera minore, cui quemque adscripserit conditio nascendi, distinxisse et pro diuersa earum ratione diuersa itidem considerauisse officia, SENECA testis est de otio sapientis cap. 31. hunc in modum edisserens: duas enim respublicas animo complectamur, alteram magnam et verè pulchram, in qua Dii atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum respicimus aut ad illum, sed terminos ciuitatis nostrae cum sole metimur: Alteram cui nos adscripsit conditio nascendi. Testimonia CICERONIS ex lib. 1. academ. quaest. et lib. 3 de finibus in hanc eandem rem adiungit GERARD NCODT Probabil. Iur. Ciu lib. 1. cap VIII §. 2. Neque Aristoteles varia hominum officia ex diuersis suis fontibus determinaturus, distinctionem neglexit inter κοινωτικήν φυσικήν καὶ πολιτικήν, vid lib. VIII. Ethicor. Nicomach, cap. IX. XI. XII. et Politicor, lib. 1. cap. 1. II.

§. XXVII.

Leges Ciuiles, haud secus ac vniuersum imperium ciuile tendunt ad promouendam securitatem et salutem publicam, et huius quidem finis intuitu considerandae sunt mediorum adinstar: *salus publica suprema iis lex est.* Summis autem imperantibus, quia ex principiis iuris publici vniuersalis, ius competit promouendi salutem publicam ciuitatum, et consequenter, vtendi mediis ad finem hunc necessariis, igitur iis quoque ius est ferendi leges ciuiles salutis publicae inseruituras, quatenus iuri naturae non contrariantur.

*Corollar.*

Recte igitur docent Icti, licitum iure naturali verum esse obiectum legum civilium. Vide praeter alios quam plurimos Illustr. D. WOLFFIUM P. VIII. *Iur. Nat. de Iur. Civil.* §. 977.

## §. XXVIII.

*Iuri Naturae addunt Leges Civiles*, dum ponunt iura et obligationes, quae naturales non sunt; *destruunt*, quum denegant iuribus et obligationibus naturalibus vim obligandi in foro civili. *Addunt* nimirum, siue nova praescribant officia et obligent civiliter ad actus naturaliter non necessarios, sed licitos, permixtos et indifferentes; siue officiis quod ad materiam naturalibus; formam praescribant civilem, solemnitates adhibendas certosque modos, in negotiis vel extrajudicialibus, ut illa firmitatem obtineant in foro civili, vel iudicialibus, a litigantibus, ut ius suum in foro rite persequantur, observandos; siue nova saltem motiva, poenas scilicet civiles adiungant. *Destruunt* vel directe vel indirecte. *Directe*, ubi officiis et iuribus naturalibus diserte et *ἀπερὸς* actionem abnuunt et obligationem civilem: *Indirecte*, siue actum nullum esse iubeant, non observatis forma civili, solemnitatibus, aut ceteris quibuscumque additamentis; siue ob univrsalitatem in casu singulari à particularibus discedant determinationibus iuris naturalis, cui in genere consideratae conformes sunt.

## Scholion I.

Vides igitur leges civiles, quae *ratione auctoritatis* omnes positivae sunt et arbitrariae, *quod ad originem*, vel naturales esse, vel positivae, s. mirè civiles, quas praeternaturales nuncupat

cupat GRIBNERVS *Princip. 1. Nat. lib. IV. cap. II. §. II. n. 1. conf.*  
 PVFENDORFII *Ius Nat. et Gent. lib. VIII. cap. 1 §. 1. quomodo le-*  
*ges naturales abeant in ciuiles, vid D. WOLF. l. c. P. VIII. c. V.*  
*de theoria leg. ciuil.*

Scholion. 2.

Verus hic est, nisi omnia me fallunt, quem explicui, sen-  
 sus VLPANI docentis: *Ius ciuile effici, quum aliquid additur vel*  
*destrahitur iuri communi, princ. leg. 6. π. de 1. et. 1.* Enimvero  
 propositio haec posterior: *itaque, quum aliquid addimus &c.,*  
 conclusio est (quod docet particula: *Itaque*) deducta ex priore  
 parte eiusdem legis: *Ius ciuile est, quod neque in totum a natura-*  
*li vel gentium recedit, nec per omnia ei seruit.* Ius civile in totum  
 (Graeci interpretantur: *τελειως*) a naturali recedere dicitur, quod  
 illi è diametro repugnat. Verbum enim *recedere* apud scriptores  
 Clasicos probatae fidei denotat quoque nonnumquam transitum  
 in partes contrarias. Ab ULPIANO sane, praestantissimo illo  
 facidote iustitiae, quem MODESTINUS *lib. 2. excusat. in l. 4.*  
*in fin. π. de excus. κρότισον* appellat, ALEXANDER Imperator  
 parentem suum, *l. 4. Cod. de locat.,* aequitatis insuper naturalis  
 seruantisimo (quod comprobant quamplurimae leges iuris R.,  
 illum auctorem agnoscentes, quo eum quoque collimavisse in  
 ornatis suis et spatiosis definitionibus iurisprudentiae et Icti *l. 1.*  
*§. 1. et l. 10. π. d. iust. et iur.* dudum notauimus) alienissimum  
 id est, vt leges civiles probaret iuri naturae repugnantes; id-  
 circo ius civile a naturali *in totum recedere* negat. *Nec tamen,*  
 porro ait, *per omnia ei seruit,* id est, normam illius vnice non  
 sequitur. *Per omnia enim seruire* idem est quod *deseruire,* quem-  
 admodum CICERO in *Orat. VIII. s. frumentaria in C. Verrem,*  
*in f. Orat. de Siculis: si vobis potius ac populo R., quam sibi et suis*  
*commodis, opera, sumtu, labore deseruiunt;* Vbi notat GOTHO-  
 FREDUS lit. (e) *deseruit, qui in seruiendo nihil omittit.* Quicun-  
 que igitur alteri totum se mancipat, à nutu et arbitrio eius in  
 omnibus pendet, ita vt ne latum quidem vnguem inde disce-  
 dat, ille *per omnia ei seruire* dicitur. Licitum autem et inde  
 ter-

terminatum iure naturae illud esse VLPIANO, in quo non per omnia ei seruit ius civile, demonstrant primi, ilaria verba legis, quae ius civile describunt *non in totum a iure nat. recedere*, et consequenter indigitant nullum esse ius civile, declinans a norma legis naturalis et communi huic legum quarumcunque civilium principio repugnans. Inde autem conclusionem conficit VLPIANUS: *itaque quum aliquid addimus vel detrahimus iuri communi, ius proprium, id est, civile efficimus*. Non est, quod miremur, licita quoque et permessa iure Naturae, venire appellatione iuris communis, ex doctrina enim Ietorum Romanorum permissionem fuisse actum legis, loquitur MODESTINUS, Vlpiani coaeuus l. 7. π. de ll. Observandum denique *ius proprium sive civile* illud hic esse, quod Schol. 1. ad h. §. ius diximus mere civile; apparet id ex lege 1. et 4. hui. tit. π. de iust. et iur. (quae ex VLPIANO itidem et ex vno quidem eodemque lib. I. Instit. haustae sunt) vbi de iure gentium agitur, 2: iure civili quoad originem naturali, cui opponitur l. 6. ius proprium s. civile. Verum enim vero distinctio haec inter *ius gentium et civile*, (id est, ius civile naturale et praeternaturale, vt cum GRIBNERO loquar) Ictis Rom. antiquioris aevi vsitatissima fuit Testatur id CAIVS Ictus, (ex quo sua hausit IVSTINIANVS §. 1. l. d. l. N. G. et Civ. et l. 9. π. de orig. iur.) ex residuis enim hodieque Institutionum Caii ruderibus, beneficio Alariciani corporis, quo VISIGOTHI olim vsi sunt, posteritati servatis, et insigni isti Iurisprudentiae Veteris ante Iustinianae operari, quod opera doctiss. ANT. S. HVLTINGII Lugduni Bavorum prodiit 1717., insertis. Lib. 1. Tit. 1. haec habemus: *Omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque civile, quasi ius proprium ipsius civitatis, quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utuntur. Interpretem horum verborum, quae totidem verbis inserta sunt In-*  
stitu-

*stitutionibus Imperialibus l. c.*, THEOPHILVM dabimus, Graecum Instit. Iustin. interpretem, qui licet ille forte non fuerit Antecessor Constantinopolitanus, cuius in componendo corpore iuris opera vsus est IVSTINIANVS, Iustiniani tamen temporibus eum floruisse et scripsisse in confesso est, vide *Gundlingianor. P. II. obs. 2.* Ille autem, BÖHMERO in *Institut. interprete*, hunc in modum commentatur *Paraphraseos lib. I. Tit. II. §. 1.* Quoniam quicumque rempublicam constituit et eam legibus ornare vult, has duas in legibus ferendis vias sequitur; aut enim ius gentium aut ius civile constituit, idque vel scriptum vel non scriptum. Et quid est ius gentium? ius gentium quod ad omnes homines, aut eos saltem, qui ratione volunt vivere, extenditur. Ius autem civile est, quod loco circumscribitur, et loci utilitati consulit, eaque, quae loco illi perniciose sunt, tollit: quas porro definitiones variis adductis exemplis evidenter adeo collustrat, vt dubiae nemini et inexploratae esse possint, quas aevo Iustiniano intenderint, notiones iuris gentium et civilis. Constat igitur ius civile, quod naturali originem debet, ius gentium dici, quia eo iure, vti CAIUS loquitur, omnes gentes vtuntur; quod verum merè arbitrarium est et positivum, vtpote varians in diversis locis pro diversa ratione status, ius proprium et civile stricto sensu appellari; vnde ius privatum tripartitum esse collectumque ex naturalibus praeceptis aut gentium aut civilibus asserit IUSTINIANUS §. 4. *I. de iust. & iur.*, vnde occupationem, licet iure civili probatam, modum acquirendi iuris gentium, ceteros autem, qui vel quoad materiam, vel quoad formam saltem iuri positivo ortum adscribunt, modos acquirendi iuris civilis nuncupat CAIUS *lib. 2. rerum cottidianarum l. 1. π. de acq. rer. dom.* Nec antiquos Latii aut Graeciae Philosophos latuit distinctio illa inter ius privatum commune et proprium; id quod ARISTOTELIS, CICERONIS aliorumque testimoniis firmat FRANC. HOTOMANNUS *ad Tit. Institut. de I. N. G. & Civ.* In eo gitor sita est vis concludendi, quam animo spectavit VLPPIANVS *l. c.* Ius quidem civile non contrariatur iuri naturae, attamen nec ita plane congruit, quin aliqua saltem ratione differat, Quum

vero non differat nisi in non repugnantibus, igitur illa tantum, in quibus ius civile naturali addit aliquid vel detrahit, discrimen utriusque iuris efficiunt, haec denique, quoniam iuri naturali originem non debent, igitur ius proprium constituunt s. mere civile.

### §. XXVIII.

Sibi invicem repugnare dicuntur leges, quaecunque contrariae sunt seu contradictoriae. Pugna autem et contrarietas ex impossibilitate actionum legibus praescriptarum oritur. Quaecunque leges ita sunt comparatae, ut actiones iis praefinitae, simul consistere nequeant, illae unà observari non possunt, quaecunque vero simul observari non possunt, illae contrariae sunt et repugnantes. Sunt igitur LEGES sibi mutuo CONTRARIAE, quarum altera praecipit id, quod prohibet altera, vel vice versa, prohibet id, quod altera praecipit.

#### Corollar. I.

Non igitur contrariantur sibi leges composibiles, quarum utraque simul consistere potest. Recte concludit KÖHLERVS *Iur. soc. & gent. Spec. V. §. 912. & 944. nullam repugnantiam duarum legum oriri, si unius observatio ita fuerit comparata, ut altera simul observari possit.*

#### Corollar. 2.

Sequitur ulterius ex notione hac legum contrariarum, inter obligatorias et permissivas nullam interesse pugnam verè sic dictam. In hoc enim collisionis genere una lex non praecipit, quod prohibet altera, quippe quum leges permissivae non imponant necessitatem agendi vel omitterendi, sed id relinquunt arbitrio alterius, num agere velint an potius non agere §. 11.

Co-

*Corollar. 3.*

Apparet denique istas leges civiles naturalibus vere contrariari, quae vel praecipunt, quod iure naturae prohibetur, vel prohibent, quod naturaliter praecipitur, easque vel iniustas esse vel iniquas saltem. §. X. Schol. 4.

§. XXIX.

*Leges civiles iuri naturae, dum addunt aliquid, non contrariantur.* Istæ enim accessiones iuri civili factæ præter ius naturae, ponunt, id quod additur, iuri naturali obligatorio non inesse, §. XXVII. Quum vero nulla sit pugna et contrarietas inter leges nisi vtrinque obligatorias, quarum altera praecipit, quod prohibet altera per §. XXVIII., nulla inter obligatoriam et permissivam Coroll. 2. ad §. 28.; igitur leges civiles naturalibus addentes quid, illis non contrariantur. *Nec contrariantur, dum detrahunt* iuri naturali sive interno sive externo. Tantum abest vt repugnent iuri nat. interno, vbi nullam officiis imperfectis tribuunt actionem vel obligationem civilem, et statuunt consequenter id genus officiorum extorquendum non esse, vt illud potius sequantur et imitentur, quippe quum officia amoris s. imperfecta naturaliter quoque cogi nescia sint. Quando officiis naturaliter perfectis detrahunt, id saltem efficiunt, vt nullam iis tribuant obligationem in foro civili §. XXVII. igitur permittunt quidem civiliter et externe, non obligant aut approbant. Si vero non obligant, non praecipunt iure naturali prohibita, nec prohibent praecepta, nihil obstat, quominus vtrumque ius observari possit, et nulla consequenter est inter ius naturae et positivum contrarietas §. XXVIII. Eadem porro consequentia sponte sua fluit ex diuersitate

status naturalis et civilis. Ius enim naturae strictè sic dictum respicit statum naturalem, ius civile civilem. Si vero diversi status, quos respiciunt iura ista, contrarii non sunt, neque iura, naturale et civile, licet diversa, sibi invicem repugnabunt. Status autem non repugnant, civitates enim vniuersali hominum societati subordinatae §. X. Ergo nec leges. Status saltem civilis pro fine civitatis rite obtinendo ad supplendum varios et emendandum defectus, varias postulat determinationes a statu naturali alienas, id est, novo posito statu novam ponit legem §. XXV., quae iuri naturali, quamvis addat aliquid vel detrahat, neutiquam contrariatur. §. XXVIII.

### Scholion I.

Illud potissimum censores iuris civilis offendit collisionis genus, quod ex detractone iuris naturalis oritur in foro civili. Sed ecquis ignorat, quaeso, toto coelo differre obligationem et permissionem? si iura civilia praeciperent naturaliter prohibita, vel prohiberent praecepta, iniusta omnino essent, sed denegando obligationem civilem non iubent aut vetant, sed permittunt solum et impunitatem tribuunt in foro civili, cetera iuri naturae decus suum et obsequium indelibatum relinquunt, non illicitum faciunt ex naturaliter debito, nec debitum ex illicito; vnde licitum externe sive in foro civili a licito interne s. in foro conscientiae probe distinguunt lecti, vnde frequentissimae illae quaestiones, num testamenta v. g., num ceteri quicumque actus civiliter imperfecti obligent nihilo secius in conscientia? *Permissio quae lege fit, verba sunt GROTII de I. B. & P. lib. 1. cap. 1. §. XVII. n. 2., (nam quae nudi est facti & impedimenti remotionem significat, huc non pertinet) aut plena est quae ius dat ad aliquid omnino licite agendum, aut minor plena, quae tantum impunitatem dat apud homines & ius ne quis alius impedire licite possit. Ex prioris generis permissione non minus quam ex praecepto sequitur*

*id de quo lex agit, contra ius naturae non esse.* At vero legislator denegans nonnunquam iuri naturali perfecto actionem civilem, tolerat quidem violationem iuris naturalis, non ideo approbat, aut ius dat, ut cum GROTIUS loquar, *ad aliquid omnino licite agendum.* Si quis, inquit KOEHLERVS *spec. V. iur. soc. §. 965. alteri aliquid permiserit, illud vel approbat vel reprobatur, vel de eius moralitate iudicium suspendit, atque adeo de permittente non statim affirmare possum, eum approbare id quod permissum est, quum fieri possit, ut is illud mente improbet, vel de eiusdem moralitate iudicium suspendat ob defectum cognitionis.* conf. PUFFENDORFII *I. N. et G. lib. I. cap. VI. §. 15. Dni. WOLFFII P. VIII. Iur. Nat. §. 976. Schol. BÖHMERTVM de tolerantiae religiosae effect. civil. cap. I. §. III--X.* Brevi: detrahit quidem nec per omnia servit iuri naturae, legis privatae conditor denegans obligationem civilem, non tollit, derogat vel contrariatur. Consulto igitur abstineo a voce derogandi, quam adhibui supra in rationibus dubitandi, ab aliis in hoc argumento per saepe usurpata: *derogare enim legibus Romanis est tollere quoad partem obligationem legis, vid. Fragmenta VLPiani Tit. I. §. 3. tollere autem veram contrarietatem involvit et repugnantiam.* Luculenter hinc patet, ut mea fert opinio, quam immerito ius R. fugillent et iniustitiae incusent MARQUARDVS FREHERVS, CYPRIANVS REGNERVS AB OOSTERGA, et qui plures sunt, quibus placet conclusio, quod pacta servanda esse negaverint et perfidiam probaverint Romani, quandoquidem pactis nudis nullam tribuunt actionem forenses. Tantum id adest, ut malum potius et improbum virum iudicaverint, qui pacta violassent. Legenda, quae in eam rem differunt SENECA *de benefic. lib. III. cap. 15. GELLIVS Noct. attic. lib. XX. cap. I. Consulendi praeterea IO. CAROL. VON WACHENDORFF diff. de pact. nud, quae in Triade differt 3tia est, GUIL. BEST. d. pact. & contract. natura, MERILLIVS obs. lib. VII. cap. 39, BYNKERSHOEKIVS de pactis adiectis, HVBERTVS Eunom. Rom. ad l. 7. §. 4. π. de pact.* ut interpretes t. ceam iuris R. tantum non singulos patrociniū bonae huius causae in se suscipientes,

## Scholion 2.

Tollendae sunt duae potiores, quae in contrariam sententiam inclinant, rationes dubitandi. Altera est, quam ipse exhibui §. XV. Quoniam in statu civili non nisi per actiones forenses aduersus alios experiri licet, denegatis igitur actionibus ad persecutionem iuris perfecti naturaliter mihi competentis, ipsum quoque ius naturale, obstante lege civili, vere tollitur. Observandum autem non ipsum quidem ius et officium naturale tolli in uniuersum, sed id saltem quod perfectum est naturaliter, imperfectum evadere in statu civili et destitui iure cogendi alterum, nec quidem iniuste. Quicumque enim societatem civilem ingressi sunt, iura sua naturalia transfulerunt in arbitrium summi imperantis, ut eorum exercitium ad normam salutis publicae determinaret. Rationes autem haustas ex intuitu boni publici, quae iustitiam istarum legum vberius demonstrant, praebunt sequentia. Alterum dubium enascitur ex immutabilitate iuris naturalis adstructa §. IIX. Frequentissime hoc quidem ab iniuris censoribus iuris civilis opponi solet, licet nullius re vera momenti. Perperam enim assumunt, mutationem iuri naturae afferri, quae nulla reapse est mutatio. Nemo diffitetur, quin leges naturales per civiles mutari non possint, sed neque mutatio ponenda, nisi in casu verae repugnantiae. Mutabilitatem legum civilium indoles earum efficit et finis. Quoniam enim statui reipublicae attemperatae esse debent, ille autem contingens est et mutabilis igitur ipsae quoque leges non possunt non mutabiles esse. *Quas tempora aliqua desiderabant leges, mortales (ita ut dicam) et temporibus ipsis mutabiles esse video. Quae in pace latae sunt, plerumque bellum abrogat; quae in bello, pax: ita ut in navis administratione alia in secundam, alia in aduersam tempestatem vsui sunt, ait LIUIVS lib. XXXIV. cap. 6.* Ista autem mutabilitas legum civilium nullum iuri naturae affert vicissitudinis periculum. Quinimo mutationem hanc ex intuitu boni publici in iure civili exortam, ipsum ius naturae late sic dictum et

et vniuersale imperat et praescribit. Sufficit cetera exquisitam adscribi, quam fert GROTIUS, sententiam: *Fit interdum, vt in his actibus, de quibus ius naturae aliquid constituit, imago quaedam mutationis fallat incautos, quum re vera non I. N. mutetur, quod immutabile est, sed res, de quo I. N. constituit quaeque mutationem recipit. de I. B. et P. LI. c. I. §. X. n. 6. conf. PVFFENDORFF. I. N. et G. lib. II. cap. 3. §. 5. SELDENVM de I. N. Sec. disc. Ebr. l. I. c. 8. NOODT. I. II. Probabil. c. XI. HVBER. Eunom. Rom. ad l. 6. π. d. I. et I.*

*Corollar.*

Leges autem ciuiles, quia non repugnant iuri naturae nec interno nec externo, illi addentes aliquid vel detrahentes, E. nec iniustae sunt, nec iniquae. §. X. Schol. 4.

§. XXX.

Imo vero tantum abest vt leges ciuiles addendo vel detrahendo iuri naturae repugnent, vt illius potius praeceptis (vbi lato sensu acceptum ius priuatum vniuersale complectitur) ex esse satisfaciant et amuffitatae respondeant. Potestas enim legislatoria summi imperantis non ius est mere permissivum, sed obligatorium, vnde fit, vt Princeps leges fanciens in rem publicam, non saltem licite agat lege non obstante, sed iuste simul ad normam legis obligatoriae §. XXVI. Ratio status civilis et salus publica civitatis id omnino postulant, vt iuri naturae addant quid et detrahant leges ciuiles. Ad *additiones iuris ciuilis* primum quod attinet, I) *varia pro ratione status ciuilis determinanda sunt officia, iure naturae indeterminata.* Leges enim ciuiles praescribere debent media, quibus obtinetur commune bonum ciuitatis. Neesse igitur est, vt rationes earum  
de-

desumantur à statu civitatis, vnde diiudicandum, num hoc vel alio quocunque modo finis civitatis obtineri possit. Hic autem status civilis, media ad finem civitatis obtinendum necessaria praemonstrans, partim quia a statu naturali diversissimus, partim quod in diuersis civitatibus pro natis circumstantiis et diuersa earum indole discrepet, non potest non varias exigere determinationes *praeter, non contra ius naturae*, quae in statum naturalem minime cadunt. 2) *Officia quoque naturaliter imperfecta, si ita est è republica, transire debent in leges civiles.* In genere quidem officia perfecta materiam praebent legibus civilibus; hoc enim officiorum genus securitatem publicam plerumque afficit, illud non aequè. At vero si ita exigat finis civitatis, vt compellantur inviti ad officia amoris, posita ratione legis, ponitur ipsa lex vid. DNI. WOLFFII P. VIII. l. N. §. 977. et KOEHLERI *spec. I. S. & G. §. 806.* Regeris: ea quae coactionem non patiuntur, nec legi civili subesse. Respondet KOEHLERVS l. c. §. 809. *eiusmodi casibus non extorqueri amorem, sed actus ab amore pendentes.* Exempli loco fit praeceptum legum civilium de officiis tutoris & curatoris, nec non tralatitia illa regula iuris: *quod tibi non nocet et alteri prodest, ad id compelli poteris.* 3) *Forma quaedam civilis actibus in foro civili valituris praescribi debet.* Varias sunt rationes haustae ex consideratione boni publici, quae necessitatem efficiunt formae civilis, vel generales vel speciales. In genere modus, quo obligationi naturali et fini civitatis ritè satisfieri possit et praecaveri, ne adversa eidem committantur, determinandus est, WOLFF. l. c. §. 982., si determinationes lege naturae adiectae probatu difficiles

ciles sint vel prorsus impossibiles, in earum locum aliae probatu faciles substitui debent, quae ut plurimum iisdem aequipollent, *l. c. §. 986.* Ea, quod ad actiones forenses, forma procedendi litigantibus praescribi debet, quae utriusque litiganti et veritati investigandae inserviat. De veritate factorum certissime, qua pote est, constare debet. Laesionibus et fraudibus obex ponendus. De deliberato eorum consilio, qui ex voluntate sua obligantur, persuasi esse debemus. Leges denique civiles regulæ erunt generales. Tanta enim moles est negotiorum civilium & circumstantiarum singularium, quæ ad moralitatem actionum conferunt aliquid, ut singulæ prævideri non possint ne summa quidem perspicacia duce, & cum summo sane civium incommodo in *ἀχθος καμύλων πολλῶν* quemadmodum EVNAPIVS loquitur in vita AEDESII *pag. 61.* excrescerent leges, si singulis actionibus respectu circumstantiarum, quae forte accedere possint, ad normam iustitiæ & æquitatis naturalis commensurandis plene satisfacerent. Neque consultum foret arbitrio iudicis licentiam relinqui, in casibus obviis iustum et iniustum pro arbitrio præter legem determinandi. Hæc inquam, & alia principia legum civilium necessitatem formæ civilis negotiis præfiniendæ satis superque evincunt. 4) *Officiis, quod ad originem naturalibus, quorum neglectio securitati obstat & salutis publicæ, obligationem adiungere debent civilem.* Enimvero quum homines experientia teste, præsentibus plerumque, quæ sensus afficiunt, magis percillantur, quam futuris, quæ sola ratione assequuntur, nec ius naturæ per se spectatum motivis naturalibus tantum consequatur, ut homines ad eius præscri-

ptum actiones suas attemperent, poenis igitur & coactione civili opus erat. CANZII *discipl. mor. P. II. §. 1545.* Quod denique ad detractiones iuris naturalis in foro civili: officiis naturalibus etiam perfectis denegandae nunquam sunt obligationes civiles; five, lites forenses, ne exitu destituantur, nec crescant in infinitum, præscindendi gratia, five læsio exigua fuerit (quam in civitate non curandam esse, demonstravit eximius nostri ævi Philosophus CHRISTIANVS WOLFFIUS *l. c. §. 987.*) five propter defectum probationis, five maius forte, ex poena & coactione civili, salutis & securitati publicæ imminet periculum, quam ex toleranda violatione iuris naturalis, five alia quæcunque, quæ ita suadeat, adfuerit ratio ex bono publico civitatis derivata. Quo iure petenti suum, publicæ utilitatis gratia, non simpliciter neque semper tribuendum sit, erudite docet GERH. NOODT *lib. III. Probab. iur. civ. cap. II.* simile autem de similibus esto iudicium. *Habent quidem in omnibus civitatibus vim iuris civilis illa naturæ præcepta, citra quorum observationem pax interna inter cives stare nequit. Quibusdam autem illa vis tributa non est, tum quod illorum, quæ contra eadem admissa dicuntur, disceptatio nimis obscura erat futura, tum ne tribunalia immenso litium numero perstreperent, inquit PVFENDORFIUS de I. N. & G. lib. VIII. cap. I. §. I.*

### Scholion I.

Longissime igitur a fine societatis civilis aberrant naturalistæ illi, qui ius naturæ civitatibus sufficere & rempublicam sine legibus civilibus consistere posse arbitrantur, contra quos, licet infirmiori brachio disputat H. P. HABERKORN *in Jurisprudentiæ Iustianæ sole resplendescente cap. 1. 2.* in qua hæresi erat olim claris-

rissimus G. G. LEIBNITIVS, iuvenis adhuc, existimans Germaniæ salutaris fore, sublato iure Iustiniano, regi legibus naturæ, tum a lætis magis excolendo & dirigendo alia methodo, in quam rem cogitationes conscripsit von den Mängeln der Römischen Rechts, Gelahrtheit, und von derselben Verbesserung, quas luce publica donavit celeberr. CHRIST. GOTTL. BVDERVS in Sammlung verschiedener ungedruckter Schriften. Nequicquam autem ius naturæ sufficit vt homines in republica constituti salutem reipublicæ promoveant, quod docent D. WOLFIVS *Polit.* §. 401. GVNDLINGIVS *Polit.* cap. IX. §. V. & innumeri alii: quum vero rei publicæ intersit, vt homines actiones suas ita instituant, vt salus reipublicæ promoveatur; igitur necessariæ quoque erunt leges civiles, quas *imperium inanimatum* scitè appellat IO. NIC. HERTIVS *Elem. Prud. civil. P. I. Sect. VII. §. VII.* Dissentiendi studium, difficultas discernendi in casibus obviis iustum ab iniusto & diiudicandi iustitiam actionum, mutabilitas & inconstantia voluntatis humanæ, tum affectus & inclinationes, quæ efficiunt, vt id, quod maxime volumus, æquissimum etiam nobis videatur, non permittunt vt iuxta vnicam iuris naturalis normam ad arbitrium iudicis conformandi decidantur controversiæ forenses, quemadmodum perspeçte iudicat GRIBNERVS *Princ. I. N. lib. IV. cap. I. §. III. n. 1.* & in *diss. de inc. ex dub. LL. auctor. oriundo* §. 12.

### Scholion 2.

*Boni quidem legislatoris est, quam fieri potest maxime, naturalem sequi æquitatem, & æquisimæ iustissimæque illa leges dicendæ sunt, quæ ad naturales rationes proxime accedunt, docente laudato nuper GRIBNERO I. N. lib. IV. cap. 2. §. 2. Leges civiles quoad materiam similes esse debent naturalibus, atque ita comparatæ, vt iis commode substitui possint, prouti demonstrat I. C. BVCKY *Proleg. I. civ. Priv. §. 23.* Vnde fit, vt ius civile non solum non repugnet naturali, nec naturalem tollat obligationem; rerum inhonestarum nulla obligatio, nulla facultas l. 57. π. pro Socio,*

sed propendeat etiam & inclinet, qua fieri id potest sine detrimento salutis publicæ, in naturalem quam maxime æquitatem. Illud vero iustitiæ & æquitatis naturalis studium in consignandis legibus civilibus, non eo usque extendendum arbitror, ut calculum mereatur doctrina THOMASII postulantis, ut leges tales promulgentur, per quas populus disponatur ad opera humanitatis reliquarumque virtutum communis amoris: *Leet. de Prud. legisl. c. 8. §. 8.* THOMASIO prorsus contraria est doctrina Pufendorffii, (licet ne hæc quidem ab omni nota censoria immunis sit) præter alias hanc quoque l. c. allegantis rationem, cur ni omnia indiscriminatim officia naturalia obligent in foro civili: ut viris bonis præcipua laudis suæ materia velut illibata relinqueretur, quæ est, sola Numinis reverentia citra metum poenæ ab hominibus infligenda recte egisse; quæ sane laus perit, ubi discernere non licet formidine poenæ, an virtutis amore quis egerit. Quibus in medio relictis, non quidem disputo, iustas esse laudes iustitiæ & æquitatis legibus civilibus iure meritoque adscriptas, quæ eo sunt præstantiores, quo magis iuri naturæ conformes; attamen non ideo excludendus prorsus est respectus utilitatis publicæ. Status civilis vel civitates in genere vel eam, in qua leges feruntur, respiciens, legislatori simul ob oculos versari debet. Ille verum haud raro efficit ut civitatis respectu iustum sit & utile, quod iuri naturæ in speciem repugnat. Præclara omnino est in hanc rem philosophia CICERONIS lib. 1. de offic. incidunt sæpe tempora, quum ea, quæ maxime videntur digna esse iusto homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria, ut non reddere depositum (etiamne furioso) promissum facere, quæque pertinent ad veritatem & ad fidem, ea migrare interdum, & non servare sit iustum. Referri enim decet ad ea, quæ proposui in principio fundamenta iustitiæ, primum, ut ne cui noceatur, deinde, ut communi utilitati serviatur. Ea cum tempore commutantur, commutatur officium & non semper est idem &c. Ille, inquam, status Civilis materiam præbet addendorum & subtrahendorum iuri naturæ per leges Civiles. vid. D. WOLFFI I. N. P. 8. §. 991. & hor. subsec. Marb. a. 1729. n. 2. §. 24. Ille finit legislatorem boni publici  
ergo

ergo a norma æquitatis paululum recedere, WOLFII *Polit.* §. 401. & 402. Propter concordiam legum civilium admittenda sunt iuri naturali non in totum consona, WOLFF. *I. N. P.* 8. §. 990. id autem sedulo curandum, vt in consarcinando corpore iuris vna esset legum concordia, vna consequentia, TRIBONIANO suo sapienter iniunxit IVSTINIANVS Imp. *L. 1. §. 8. Cod. de vet. iur. enucl.* Si cogites solemnitates civiles inservire inanis litigiis rescandis, dolis & læsionibus cavendis servandæque civium incolumitati, ne ex animo indeliberato vel ex facto suo, deficiente probatione obligentur, ab ita plane iniuria ista putativa, quam ex neglectu solemnitatum enasci arbitrantur, vel boni publici saltem respectu in minimum evanescit gry. Et quo iure quæso, species aliqua iniustitiæ iuri Romano affingi poterit cuius est, *ex lib. 13tio Digestorum MARCELLI, doctrina: Et si nihil facile mutandum est ex solemnibus; tamen, ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est, L. 183. ff. de reg. iur.?* Quomodo denique vniuersalitas legum civilium, illis ratio sit, cur a cynosura æquitatis nonnunquam discedant, docet Dn. WOLFIVS *Polit.* §. 412. 420. 425. Sed defectus illi, qui pauciores sunt & rariores, vel a iudice, vi æquæ & benignæ interpretationis, vel beneficio Principis facile tolluntur aut maiore bono compensantur. *Quod peccatur in singulis, compensatur in vniuersis* (exquisitum verè hoc est ratiocinium celeb. Dni. CANZII, *discipl. mor.* §. 1326. 1327.) Satius enim est plures individua ratione diversos casus vna conformitate contineri, quam omnes, qui tamen discerni & singulari modo tractari nequeunt, sine ordine ac temerè ferri.

§. XXXI.

Leges civiles iuri naturæ addentes aliquid vel detrahentes, tantum abest, vt contrariantur vel iniustæ dici possint, §. XXIX, vt illi potius (hypothetico, puta, & iuri privato vniuersali) conformes sint & consequenter iustæ §. XXX. Ius vero R. addit iuri naturæ, dum nomen vel causam adiungit contractibus in foro  
ci-

civili valituris, dum contractibus doli vel metus causa ini-  
tis obligationem tribuit, dum in acquirendo rerum domi-  
nio traditionem postulat, dum servos & liberos proprieta-  
ti dominorum & patrum adscribit, dum usu capienti do-  
minium indulget, dum testamenta firmat, dum ordi-  
nem succedendi ab intestato ordinat; vice versa *detra-  
hit iuri naturali*, vbi pactis nudis denegat obligationem  
civilem, vbi fœminas & filios. ab obligatione liberat,  
vbi liberis in potestate patria respectu patris vinculum  
abnuat obligationis civilis, vbi nullum ius acquiri finit  
ex pacto tertii, vbi facultatem alienandi vel dominis  
certis casibus restringit, vel non dominis addicit. Er-  
go ius R., ad additiones has vel detractiones quod  
spectat, non iniustum est, sed iustum. Q. E. D.

### Scholion.

Restat id quidem adhuc, vt ad singulas supra oppositas,  
sigillatim respondeam rationes dubitandi; nec arduum aut am-  
biguum foret patrocinium hoc, nisi caussa nunc dudum pero-  
rata esset. Maturiori vindici spartam hanc plenius exornandam  
relinquo & satis habeo me ex generalibus principiis pro modu-  
lo virium aliquatenus demonstravisse vel saltem demonstrare vo-  
luisse, *ius civile iuri natura dum addit aliquid vel detrahit, neu-  
tquam contrariari*. Sequentia modo coronidis loco adiicio. Exa-  
minatis curatè excusisque rationibus & occasionibus legum Ro-  
manorum, quæ materiam dubitandi præbuerunt, vel exinde  
constat, quam solliciti fuerint conditores earum æquitatem te-  
naciter servandi eosque ne latum quidem vnguem ab ista nor-  
ma deflexisse, nisi boni publici & status civilis gratia. Data  
sanctæque fidei violatores, vel SENECA teste *de benef. lib. V.  
cap. 21.* improbos sane & detestandos crediderunt Romani. Nec  
eo consilio pactis nudis actionem denegarunt forensem, postu-  
la-

labant saltem, id quod ius naturæ itemque postulat, vt delibe-  
rata & seria voluntas vnica ratio esset obligandi. Non serio au-  
tem sæpe inita fuisse pacta PLAVTVS testis est, mores sui ævi  
ita delineans in *Aulul. Act. 1. sc. 2.*:

*At scio quo vos pacto soleatis perplexarier,  
Pactum non est pactum, non pactum pactum  
est, quod vobis lubet.*

Minus deliberatum in pacto nudo intercessisse consilium paci-  
scendi, vel ideo præsumebant, quod stipulatio Romæ præsto  
fuerit, quam qui non adhibuisset, vel obligari verè noluit, vel  
saltem habebant paciscentes, quod sibi imputarent. Commu-  
ne enim illud obligandi vinculum longo vsu invaluisse, donec  
tandem in ius certum iverit, probatum fecerunt viri doctissimi  
BYNKERSHOEKIVS *de pact. adi. cap. 1.* & WACHENDORFF  
*de pactis nudis.* Vt reprimerent Romani deceptiones eorum,  
qui nullo negotio se circumveniri patiuntur, lubricæ ætatis caus-  
sa, pupillos infantia quoque maiores, licet non omnem iis de-  
negabant facultatem agendi negotia sua, ab obligationis nexu  
sine tutoris auctoritate contractæ, æquissime eximebant. Ea-  
dem hæc ratio est Scti Velleiani. Cuius si desideres rationem ex i-  
mo fonte æquitatis petitam, consulas, precor, ipsos iusticiæ sacer-  
dotes PAVLVM & VLPIANVM *L. 1. §. 1. L. 2. §. 2. 3. π. ad  
Sct. Vellei.* illi autem testantur, propter sexus imbecillitatem officium  
intercessionis foeminis ademtum, quia in ea non sola opera nudumque  
ministerium earum versaretur, sed etiam periculum rei familiaris. Sed  
ita demum eis subveniri, si non callide sint versatæ, deceptis nimirum,  
non decipientibus; infirmitatem enim foeminarum, non calliditatem  
auxilium demere. Occasio Scti Macedoniani erat MACEDO ali-  
quis, vel foenerator, qui pecuniam credebat *incertis nominibus*  
(vel non bonis sub vsuris immodicis) quæ opinio est vulgaris, vel  
filiusf. (quæ sententia est THEOPHILI, MARANI & b. HEI-  
NECCII) qui mutuam pecuniam sumens luxuriæ variisque cupi-  
ditatibus indulserat, adeo demum vt ad desperationem plane  
actus patrem vel occiderit vere, vel eius saltem vitæ insidiatus  
sit *§. 7. Inst. quod cum eo qui in al. pat. pr. ff. d. Scto Maced.* Id  
igi-

igitur spectabat Sctum, vt refranaret improbitatem Focneratorum, vt prospiceret rei familiari filiorum, vt caveret funestas in posterum consequentias. quas ex luxuria eorum effluxisse perspexerant. Hac autem posita caussa & occasione Scti Maced. nescio qua veri specie iniquitatis illud incusari possit, saluti publicæ & læsionibus averruncandis adeo inserviens. Ad alienationem rei dotalis quod attinet, (si res fuerit immobilis & inæstimato data, vel æstimato quidem sed taxationis saltem gratia) marito quidem quoddam dominium dotis indulgent leges R., attamen quum illi constituta non sit nisi adsustinenda onera matrimonii, vxoris autem dominium (quod durante matrimonio *naturale* dicunt Doctores) mortuo marito pleno iure reviviscat, æquissime omnino occasione frequentissimorum olim apud Romanos divortiorum, restrictam modo facultatem alienandi rem dotalem marito concessit *lex Iulia de adulteriis*, ne dissipata dote vxores domo extruderentur. Nec iniuste alienationem interdixit IVSTINIANVS consentiente etiam muliere: *Ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum convertatur*, quæ ratio est authentica Imperatoris *pr. l. quib. alien. licet.* Ad rationes denique iusti & æqui (ne fidei datæ contractoque æri alieno in læsionem creditorum impune illudant debitores morosi) quam maxime accomodata sunt leges civiles ius distrahendi & alienandi pignus, solutione non facta, tribuentes creditori. Nec opus est, vt in hanc rem facultatem alienandi voluntate debitoris concessam fingamus. *Sed ne creditores ius suum persequi impedirentur, neque debitores temere rerum suarum dominium amittere viderentur, nostra constitutione consultum est.* & certus modus impositus est, per quem pignorum distractio possit procedere, cuius tenore utripue parti creditorum & debitorum satis abundeque provisum est. Ita IVSTINIANVS §. 1. *l. quib. alien. lic.* Quid æquius quæso & salubrius ordinari potest? Hæc & innumera alia, quæ nullo negotio adiungi possent, principia iuris R. iustitiam illius satis superque tuentur. Sed singula excutere nunc non vacat. Observo saltem 1) in rationibus dubitandi leges nonnunquam poni iuri N. contrarias, quarum origo vtrum naturalis an me-  
re

re civilis, dubia adhuc est et suspensa, Doctoribus legum non sine gravibus rationum momentis in diversa abeuntibus, v. gr. num ipso iure subsistant contractus dolo initi aut metu? num testamentifactio, usucapio, necessitas traditionis ad dominium rei obtinendum iuris sit naturalis? 2) leges praeterea ut iniquas perstringi, quae si non iuri naturae absoluto, attamen hypothetico, iuri scilicet privato univ[er]sali originem debent, e. g. quae testamenti factio[n]em et traditionem ad acquisitionem domini[n]i necessariam concernunt, 3) ea non nulli[bi] castigari, quae iuris R. sunt antiqui, recentiore aevo, vel Praetorum vel imperatorum beneficio correctae, emendatae et ad exactiorem cynosuram reductae. Quod superest, æqui bonique consulas primitias has exercitii Academici, humillime precor. Iubet enim nunc temporis et instituti ratio *manum de tabula.*



17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100



101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150





